




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Alienatio Canonica Rerum Ecclesiae Temporalium

**Wiestner, Jacob
Prielmeyer, Bernhard F.**

Ingolstadii, 1692

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61444)




Th. 4744.

4
7
25

M. II
26





ALIENATIO
CANONICA
RERUM ECCLESIAE
TEMPORALIUM

Quam

In Alma & Electorali Universitate
Ingolstadiensi

Ordinarijs Praelectionibus

à

P. JACOBO WIESTNER S. J.
SS. Canonum Professore

Explicatam

Praenobilis & Generosus

D.^{nus} BERNARDUS FRANCISCUS

PRIELMEYER de Priell, &c. A.A.LL. &

Philosophiae Magister, J. U. Studiosus

Collegij Societatis Jesu Paderbornae.
Cum Positionibus

Ex Jure Ecclesiastico Universo selectis

Publicae Disputationi proposuit.

Pridie Calend. Martij Anno M. DC. XCII.

INGOLSTADII,

Typis Thomae Graes, Typographi Academici.

ALLENANTIO
CANONICA
RERUM ECCLESIAE
TEMPORALIUM

In Alma & Electorali Universitate
Jugoslavica
Ordinis Theologiae

T. JACOBO WESTNER S.J.
SS. Canonum Professore

D. BRUNNARDUS FRANCISQUS
PREF. MEYER DE JURE SS. A. L. L. &

Ex parte Collegii Universitatis selectis
1774
Typographia Universitatis
Paderborni

SERENISSIMO

ET REVERENDISSIMO

PRINCIPI

Ac DOMINO DOMINO

JOSEPHO
CLEMENTI

Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis

ARCHIEPISCOPO

S.R.I. ELECTORI ET PER ITALIAM
ARCHICANCELLARIO,

APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO NATO,

*Episcopo & Principi Frisingensi, ac Ratisbonensi,
Praposito Berchtesgad: nsi,*

UTRIUSQ. BAVAR. ET PALAT.

Superioris Duci, Comiti Palatino

Rheni, Landgravio Leuchtenbergensi &c. &c.

Principi ac Domino suo Clementissimo.



Prætere, SERENISSIME PRINCEPS ELE-
CTOR, ut Serenissimo CLEMENTIS

)(2

nomine

nomine tantisper abutar ad grandem confilij mei
feu audaciam, feu animi mei SERENITATI TUÆ
devotiffimi præfidentiam. Pátete, ut ex Sereniffi-
mo BAVARIÆ Cælo, toto quanto fudo, & amœ-
niffimè CÆRULEO lucidiffimos CLEMENTIÆ
radios in terras ufque detraham, quibus Thefium
mearum per fe obfcuram nubem inaurare mihi ad
publicum fpectaculum liceat. Dabit hoc mihi
SERENISSIMA CLEMENTIA TUA, illa Cælo
terrísque adorata Virtus, quâ Magni Principes
quàm proximè ad Deum accedunt, ut quædam fint
terrarum Numina & mortales Dij.

Condidit olim Ter potens Architectus Deus hu-
manum genus, & afpectabilem hunc Mundi glo-
bum, ut haberet, quibus ex alto parceret, & pu-
blicum fui fpecimen daret, quàm bonus effet: Ille
iple magnus Artifex, per quem Reges regnant, &
legum conditores iufta decernunt, Orbis abs fe
conditi Principibus haud ex vano tot Provincias ac
fubditos confignavit, ut & ipfi, exemplo fuo, ha-
berent, quibus vicariam Dei miferentis Clemen-
tiam exhiberent. Quod quidem diviniffimum CLE-
MENTIS nomen dum in TUA SERENITATE
attentiùs confidero, invenio continuè, non effe tan-
tùm fimplicis virtutis nomen, fed, quod ampliùs
est,

est, explicationem naturæ tuæ longè verissimam
juxta, & accuratissimam, quâ non modò tanti No-
minis mensuram imples, & verum CLEMENTEM
admiratori orbi te ostendis, verùm etiam Principem
CLEMENTISSIMUM. Equidem, si ad avitas sub-
limes BOIARIÆ Ducum animas, ex quibus ex-
celsum ac purissimum sanguinem trahis, si ad Colo-
nienfes Electores Archiepiscopos, qui ex adorata
Heroum illorum Bavarica Domo sacram illam Me-
tropolitanam Sedem, olim abs se opportunè con-
servatam, laudatissimo exemplo huc usque tenuerunt,
vigilem oculum advertam, omnes invenio
fuisse CLEMENTES, non tamen ita nominatos;
Tu verò, SERENISSIME PRINCEPS, quæ singu-
laris Dei providentia fuit, felici auctario & talis re
ipsâ es, & talis etiam nomine, verè Pontificio, non
ad meram & inanem pompam, sed justissimo animi
inter Principes eminentis testimonio appellaris.
Quæ quidem pacifica virtus regnantis in terra CLE-
MENTIÆ hisce armatis temporibus atque exulce-
rato Sæculo pro temperamento summè necessaria,
effecit, ut ELECTORALI COLONIENSI PILEO
habereris dignissimus, quia CLEMENTISSIMUS.
Transiit exinde meritissimo Cæli terræque suffragio
TRIUM CORONARUM CIVITAS Tibi in UR-

BEM TRIUMINFULARUM, cùm jam antea mitras
suas FRISINGA & RATISBONA facerrimo Capiti
Tuo obtulissent, ac consecrâssent. Ita nimirum Re-
gnatrix in terris CLEMENTIA non uno coronari
diademate, non unâ ornari Tiarâ meretur. Unde
jam non mirum, si bis alibi ELECTUS EPISCO-
PUS factus postremò sis ELECTOR ARCHIEPI-
SCOPUS : magnarum siquidem frontium præmia
ita naturâ suâ comparata sunt, ut non nisi summis
verticibus Selectissimi sanguinis & absolutissimæ
virtutis infideant.

Sed & aliæ privatæ rationes atque domesticæ me
porro moverunt, cur SERENISSIMUM NOMEN
TUUM Canonico meo certamini, tanquam scu-
tum, olim è Cœlo lapsum præfigerem. Suasit in-
primis ipsa Thesium materia. In omnia Æquitatis
Jura me peccaturum verebar, si Canonicam de Bo-
norum Ecclesiasticorum alienatione dissertationem,
SERENITATE TUA præteritâ, alienarem : quid
enim magis TUUM ? quid Serenissimo Nomini tuo
ac muneri magis proprium, quàm Sacra Jura manu-
tenere, Dei in terris patrimonium tueri, Sacros Cano-
nes defendere, leges & privilegia conservare ? Quid
deinde magis TUUM, quàm illi, quos aut Sors na-
scendi SERENISSIMÆ DOMUS TUÆ subditos fe-
cit,

cit, aut Tuæ, illorúmve Serenissima voluntas ac favor
ad sua servitia & ministeria clementissimè adscivit?
Numeras etiamnum, SERENISSIME PRINCEPS,
Patrem meum, fervorum tuorum uti minimum,
ita non postremum inter TUOS, cujus fidelem,
probatámque in occasionibus operam tum Ser^{mi}. Pa-
rentes Tui, tum Boicæ virtutis hæres & Successor
SERENISSIMUS BAVARIÆ ELECTOR, frater
tuus, ita tuam esse voluerunt, ut ab ipsis incuna-
bulis eam Tibi addixerint, & constanter impendi-
jufferint. Versatur is ipse parens meus in hodie-
nam usque diem, de speciali mandato & gratia SE-
RENISSIMI ELECTORIS fratris Tui ablegatus
Hagæ Comitum, ibidémque Bono communi in-
tentus TUÆ quoque SERENITATIS & ARCHI-
DIOECESIS emolumenta ac commoda omni me-
liore modo pro viribus procurare & promovere al-
laborat.

Quid autem de ijs dicam, qui ratione Matris meæ
sanguine & affinitate mihi juncti SERENISSI-
MAM quoque CLEMENTIAM TUAM pro
Cynosura sua habent? degunt illi Frisingæ & alibi,
sub Clementissima & verè propitia umbra tua in di-
versis, quibus funguntur officijs, totíque quanti
ab ELECTORALIS SERENITATIS TUÆ nu-
tibus,

tibus, mandatis atque imperijs pendent, eâ fidei integritate, juramento ac Religione, quâ antehac Ser^{mo}. Antecessori tuo Episcopo ALBERTO SIGISMUNDO à pluribus retrò annis parebant. Quorum ego vestigijs dum strenuè insistere fatago, paucas hæc meas paginas, SERENISSIME PRINCEPS, penitus tui juris facio, summæque Gloriæ ac lucro mihi ducam, si eas Serenissimis oculis tuis, imò & radijs aspicere dignatus fueris, meque, & meos Serenissimis obsequijs tuis undequaque devotissimos inter tuos porro numerare Clementissimè perrexeris. Ita voveo

ELECTORALIS SERENITATIS
TVÆ

Servorum infimus

Bernardus Franciscus Prielmeyer,

APPROBATIO
THEOLOGICA.

ENchiridion hoc, cui titulus est, Alienatio Canonica Rerum Ecclesie Temporalium, eatenus eò gratius accidet, quatenus continet Materiam in Praxi sæpe sæpius recurrentem. Cùm ergo nihil vel Orthodoxæ Fidei, vel bonis moribus dissonum: imò omnia communibus principijs Juris Canonici affatim sint consona, nec non aliquot difficultates intellectu minùs perviæ perbene explicentur, magisque ultrà illustrentur: ideo dignissimum judico, ut & typis excudatur, & ad ostendendos Prænobilis & Doctissimi Domini Defendentis huc usque in Jure Canonico præclaros progressus publicè disputetur.

JOANNES GEORGIUS ZÖPPFFEL
SS. Theologiæ Doctor, Sacræ Scripturæ Professor
Ordinarius, nec non ad D. Mauritium Parochus,
Facultatis Theologiæ p. t. Decanus.

APPROBATIO
JVRIDICA.

Disputatio hæc Juridica de Canonica Alienatione Rerum Ecclesie Temporalium à Clarissimo Auctore suo est singulari industria, & magna eruditione solidissimè conscripta, atque ita numeris suis absoluta, ut in decidendis Controversijs, quæ in hac materia Judici Ecclesiastico plurimæ occurrere possunt, solum diligens ejus studium requiratur. Sicut proinde ipsa de bonis Clericorum optimè disponit, & Ecclesiarum Jura juxta SS. Canonum placita accerrimè tuetur: ita dignissima est, ut vicissim à præstantissimo Prænob. ac Generos. Domini Defendentis ingenio, inter Applausus Academicos, ad multorum exemplum gloriosè propugnetur.

CHRISTOPHORVS CHLINGENSPERGER,
J. U. Doctor, Sereniss. Elect. Bavar. Consil. Instit.
& Processus Criminal. Professor Ordinarius, p. t.
Collegij Juridici Decanus.

b

POS.



POSITIONES.

*Ex Jure Ecclesiastico Universo selecta & Disputa-
tioni proposita.*

I.

Jus Ecclesiasticum modernum, præter Gregorij IX. & Bonifacij VIII. Decretales, Clementinas & Extravagantes tam Joannis XXII. quàm Communes, constituunt Decreta Reformatoria S. Synodi Tridentina, Regula Cancellaria, & cetera Constitutiones Apostolica pro tota Ecclesia lata, & legitimè promulgata. Decreti à Gratiano compilati Textus reducendi sunt ad suos fontes.

II.

Legislatorem Legibus suis non ligari, non male defendunt T. T. & F. C. T. R. R. contra V. V. illum ligari contententes & illarum, ut loquuntur, directivâ.

III.

Consuetudo contra Sanctionem Ecclesiasticam regulariter amplius tempus non exigit, quàm ea, quæ derogat Legi Imperiali. Actus etiam bona fide frequentatos non requirit.

IV.

S. R. E. Cardinalis, si Episcopus Eligibilitatis Indulto non munitus, per Capitularium solum Postulantium; si Presbyter aut Diaconus est, per eorundem Eligentium Suffragia Archi-vel alterius Episcopatus Prælatu-
ram potest obtinere.

V.

Postulato, si ejus cum alia Postulatione, solummodo major: si cum Electione concurrat, duæ partes Suffragiorum, atque insuper gratiosa Admissio necessaria est: Electo verò, si ejus Electio cum alterius Postulatione, ultra tertiam partem unico: si cum Electione concurrat, majore numero Suffragiorum, & juri inmixtâ Confirmatione, est opus.

VI. Ultra

V I.

Ultramontanorum in Concordia Electorum Administrationi tam in Temporalibus, quàm Spiritualibus, Alienatione excepta c. Nihil 44. §. fin. de Elect. & Electi potestate, indulta, non obstat dispositio Extravag. Injunctæ inter Communes; aut c. Avaritiæ 5. eodem Tit. in 6.

V I I.

Pallij, quo Pontificalis Officij Plenitudo cum Archi Episcopalis Nominis Appellatione confertur, de Jure & Consuetudine, intra propria: ex Privilegio etiam intra aliena Provincia Ecclesias est usus.

V I I I.

Beneficij Ecclesiastici Renuntiatio, etiam à sano facta, effectu caret, si renuntians moriatur intra 20. dies, à momento ad momentum completos.

I X.

Legati à Latere, post inita inter Nicolaum Papam V. & Fridericum III. Imperatorem Concordata, in Germania: & extra istam Legati cum illorum potestate Missi, speciali Jure non muniti, Beneficia Ecclesiastica conferre probabilius non possunt.

X.

Ex Pacto nudo Actionem de Jure Canonico dari, ex c. 1. & c. Qualiter 3. de Pactis, desumi, multi DD. probabiliter affirmant. Nos cum alijs, numero & nomine potioribus, negamus.

X I.

Minor viginti quinque annis Beneficium Ecclesiasticum validè resignat, & Resignatione lapsus recuperat beneficio in integrum Restitutionis.

X I I.

Super rebus communibus agere, & respondere in judicio Prælati sine Capitulo: non etiam hoc sine illo potest.

X I I I.

Persona Ecclesiastica in causis Temporalibus à Jurisdictione Seculari immediatè exempta satis probabiliter sunt jure Humano.

X I V.

Fori Ecclesiastici, Canonis, & probabilius etiam Competentia Privilegio Clerici invalidè renuntiant, etiam cum juramento.

X V.

Clerici in Minoribus, carentes Beneficio & non ferentes Habitum & Tonsuram, Fori, non etiam Canonis Privilegium amittunt: & assumptum recuperant, Habitum, etiam post delictum perpetratum, bona fide reassumpto.

XVI.

Tam necessarius quàm Voluntarius Sequester Rei, Nominandi vel Presentandi jura annexa habentis, ad vacantia Beneficia Ecclesiastica, illis obnoxia, idoneos Clericos nominare potest, vel presentare.

XVII.

Scheda Confessionis reperta ad criminis eâ descripti probationem idonea non est.

XVIII.

Sententia aliâque acta Judicis solummodo existimati in Foro tam interno, quàm externo valent: & probabiliter etiam, si non habeat titulum coloratum.

XIX.

Secundùm allegata & probata ad mortem condemnari reus non potest à Judice, qui privatâ scientiâ eum scit innocentem.

XX.

Et si in Feriis sacris lata sententia nulla sit: contra eam tamen interposita Appellatio tenet.

XXI.

Clerici contrahentes Matrimonium, Beneficia Ecclesiastica, si in Minoribus, ipso jure amittunt: si in Majoribus Ordinibus constituti sunt, eorum privatio ipsis etiam per sententiam infligenda, ut passim DD. volunt, à SS. Canonibus prodita non est.

XXII.

De Potestate Archi-vel Episcopalis Capituli Sede Vacante, Regula Affirmativa præferenda est Negativa ita, ut ipsi permissa sint omnia, quæ Jure prohibita non reperiuntur.

XXIII.

Ad rerum Ecclesiasticarum Alienationem à Jure requisita Solennitates Consuetudine, sicut augeri, ita etiam minui possunt.

XXIV.

Clerici Domini sunt quotidianarum Distributionum, & reddituum Beneficialium, etiam quoad partem superfluum congrua sustentationi.

XXV.

De ijs testandi facultatem, à Jure negatam, acquirere possunt Privilegio Apostolico: & probabilius Consuetudine, saltem immemoriali.

XXVI.

Vi istius ipsis intestatis etiam succedere possunt Consanguinei.

XXVII.

X X V I I.

Legatum, Ecclesie vel Monasterio relictum à Pralato sine Solemnitate, probabilius valide repudiatur.

X X V I I I.

Beneficiatus Ecclesie Parochialis S. Mauritij de Jure in ista sepeliendus est, quantumvis intra fines Parochie B. M. V. defunctus sit, & habitavit.

X X I X.

Decime, tam Reales quàm Personales, in Novo Testamento Jure Ecclesiastico debentur.

X X X.

Ad Beneficium vacans plures Clerici simul à Patrono etiam Ecclesiastico: à Laico, successivè, & bis tervè variando possunt presentari.

X X X I.

Pœna adjecta Sponsalibus, à quibus justè resiliri non potest, solvenda est à resiliente.

X X X I I.

Gravi & injusto metu extorta Matrimonia Jure Humano Ecclesiastico; & non Divino, aut Naturali sunt irritata.

X X X I I I.

Sponsalia autem probabilius illo etiam Jure valida sunt.

X X X I V.

Matrimonia Clandestina, à Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matr. irritata, vim non habent Sponsalium: etsi ista, clam inita, subsistant.

X X X V.

Impedimenta Criminis & ex copula fornicaria ortæ Affinitatis, ut Conjugium dirimant, non exigunt notitiam Legis Ecclesiasticæ, quæ sunt introducta.

X X X V I.

Non eodem Jure irritata sunt Matrimonia inter Consanguineos primi gradus Lineæ Rectæ, & Transverse.

X X X V I I.

Inter Ascendentes & Descendentes, quancunque graduum numero distantes, Matrimonium consistere non potest.

X X X V I I I.

Expositi melius pro Legitimis, quàm Illegitimis habentur.

X X X I X,

Legitimorum Natalium defectu laborans, sicut Monachus ita Monialis ad Abbat jam evehi sine dispensatione non potest.

X L.

Ad secunda Vota transitus Uxori permittendus non est, nisi moraliter certa sit de obitu Mariti.

X L I.

Per Inquisitionis viam in Judicium deductum Crimen Ordinaria pena plecti Jure Ecclesiastico non prohibetur.

X L I I.

Ubi usi recepta, damnanda non est Consuetudo, aliquid temporale accipiendi, imò etiam exigendi pro eminentiori & honoratiori loco Sepultura: pro illius Fabrica, sustentatione Ministrorum &c.

X L I I I.

Beneficia Ecclesiastica pecuniâ comparari probabilius prohibentur Jure Naturali & Divino.

X L I V.

Etiam pro illis obtinendis Intercessio non emitur sine labe Simonie.

X L V.

Solutionem & Exactionem Annatarum Injustitia & Simonie male redarguunt Hæretici.

X L V I.

Ex Ecclesia Asylo, Jure saltem Moderno, extrahi non potest, qui inimicum per industriam & insidias occidit.

X L V I I.

Neque etiam, qui mercede conductus occidit Judæum vel Paganum.

X L V I I I.

Lex Aquilia probabilius in Conscientia non obligat, saltem ante sententiam Judicis.

X L I X.

Clericus de Crimine, quantumcunque enormi, convictus degradari de Jure non potest, nisi reus criminis illo expressi, vel incorrigibilis sit.

L.

Excommunicatio Jure lata probabilius non contrahitur à delinquente, eam Crimini annexam, ignorante.

PRO-

PROLOQUIUM.

QVam in Deum Religiosa, in ejus cultum, & miserorum solatium subsidiúmque prona, profusáque Fidelium Pietas olim fuerit, si ad posteritatis memoriam conscripta volumina, Saxea, aereáque monumenta non loquerentur, id equidem regali Magnificentia conspicua Basilica, erecta passim Religiosorum hominum Asceteria, obvia ubique terrarum sacra Oratoria, ac Hospitalia abundè prædicarent. Neque verò satis illis erat ista construxisse duntaxat & instruxisse: ditárunt præterea, dotarúntque adeò, ut collatis prædijs fundisque saepe amplissimis, secuturis quoque durarent ætatibus, & stabilirentur quodammodo ad perennitatem. Probâsse Majorum Religionem Pietatémque visi sunt sacri juxta ac profani Magistratus, atque ut Ecclesiarum dotes & pauperum patrimonia perpetua essent, curas suas omnibus retrò sæculis naviter intendisse, quando interposita Pactionum Fide, & Iurisjurandi adeò Religione, ad diligentiam obstringi eos voluerunt, quibus Sacrorum illorum, ac Religiosorum locorum cura & custodia unquam committeretur: néve Rerum, Fidelium munificentia collectarum, thesaurus, vel sacrilegá contrectatione, vel non satis providæ Administrationis negligentia, distractionis, aut cujuscunque jacturæ periculo exponeretur, Casus, Causasque Alienationum, & ipsam istarum Formam virtute Sanctionum Imperialium, & Ecclesiasticarum Constitutionum Auctoritate definitam examussim præscripserunt. Quamquam ne-
que

que sic etiam, & qui aliter inirentur, Contractibus damnatis, Ecclesiarum indemnitati consultum satis, cautumque existimarent. Pœnas igitur demum statuerunt, quibus, ceu debitis severissimæ animadversionis remedijs, eorum compefceretur temeritas, qui sacrum istarum peculium profanare, aut alienis applicare usibus quocunque tempore attentassent; adeò non solum Fidelium Pietas, sed Præsidium quoque in Rerum Deo dicatarum cultum & incrementum industria vigilavit. Ut igitur & Illorum Religioni, & Curæ Istorum Nos quoque aliquid contribueremus, Dissertationem hanc Nostram ad eandem metam dirigimus, & quæ Ecclesiarum Dotibus, ac Patrimonijs conservandis vendicandisque olim, hodièque salubriter sanctèque constituta sunt, sub Sacratissimi Præsulis, Pientissimi, Potentissimique Principis Serenissimis Auspicijs in lucem damus, pariter & in Argumentum Academicæ Disputationis. Canonica autem Alienationis Nomine illam appellamus; quòd Deo dicata Res, & ipsa istarum Administratio non aliunde magis quàm à temeraria & incauta distractione periclitentur: & ista, ut à dilapidationis periculo quàm remotissima sit, Ecclesiasticarum Sanctionum Regulis, si Apostolicæ Benignitatis indulgentia, vel rationabilis Consuetudo aliud non permittat, debeat esse conformis. Ceterùm propositam Dissertationem trifariam dividemus: & primâ quidem ejus parte agemus de Ecclesiarum Rebus liberè alienari prohibitis & permisis: secundâ statuemus Causas & Solemnitates Canonice Alienationis Rerum liberè distrahi prohibitarum: postremâ, quæ circa præcipuas istius species scitu necessaria aut utilia videbuntur, exequemur. Sit itaque



IN NOMINE Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis, PARS I.

*De Rerum Ecclesiæ Temporalium Alienatione
in genere.*



Hujusmodi rerum à SS. Canonibus prohibitam Alienationem, ut Dissertatio magis expedita sit; & quibus illa damnosa & periculosa, clariùs constet, ab Administratione; & hanc à rerum temporalium ad Ecclesias pertinentium Varietate & Dominio ordimur.

ARTICULUS I.

*De Rerum Ecclesiæ Temporalium Varietate
& Dominio.*

SUMMARIUM.

- | | |
|--|---|
| 1. Ecclesiæ nomine veniunt quæcunque loca Sacra & Religiosa. | 5. Quarum Dominium particulare est penes Ecclesias & Monasteria, |
| 2. Ad quæ spectantium rerum quadam merè temporales; | 6. Sive Communitates Clericorum aut Religiosorum. |
| 3. Alia Spiritualibus anteceder; | 7. Vel potius penes ipsas Ecclesias &c. tanquam Personas fideles. |
| 4. Alia consequenter sunt annexæ. | |

A

8. Univer-

8. *Universale penes Ecclesiam Universalem.* 12. *Quod non est omnino absolutum.*
 9. *In cuius publicas necessitates impendi possunt.* 13. *Expositio can. 1. can. Qui abstulerit 12. q. 2. &c.*
 10. *Dominium particulare Monasterijs:* 14. *Sensus, quo res Ecclesiarum dicuntur esse Dei aut Christi.*
 11. *Et Ecclesijs secularibus firmatur.*

1 **E**cclésiæ nomine in proposito & favorabili argumento, comprehenduntur Loca, non tantum Saera sive ædes per ceremonias Ecclesiasticas Supremæ æternæque Divini Numinis Majestati, in ipsius honorem cultumque Sanctissimæ Virginis Dei Parentis & ceterorum BB. Cælitum Venerationem, & memoriam per sacrificia, aliâque Officia Divina celebrandam dedicata, ut sunt Tempa, Capellæ, Oratoria & similia loca consecratione vel benedictione affecta: sed etiam Pia & Religiosa, sive quæcunque ad Religionis, Pietatis, aut Misericordiæ opera exercenda Episcopali vel alia eiusmodi Ecclesiastica autoritate deputata, ut etiam sunt Monasteria, Conventus, Collegia, Congregationes, aliâque Domus Regularium utriusque sexûs; ut etiam Xenodochia, Hospitalia &c. peregrinis aut miserabilibus personis recipiendis alendisve aut curandis autoritate Ecclesiasticâ constituta, ut ex *Auth. Hoc jus porrectum C. de Sacrosanct. Eccles. can. Hoc ius 10. q. 2. relata cum Panormit. in c. Nulli 5. de Rebus Eccles. alien. vel non n. 14. desumunt Laiman. Theolog. Moral. lib. 3. Tract. 4. cap. 10. n. 1. & Pirrhing. Nova Method. Iuris Canon. lib. 3. Tit. 13. n. 4.*

2 Res, Bona & Jura Ecclesiarum Temporalia, tam mobilia quam immobilia, quædam merè temporalia sunt, ut castra, villæ, prædia, fundi, domus, pecuniæ, aliâque similia: quæ neque in se spiritualia, neque ex Ecclesiæ institutione spiritualibus sunt annexa; etsi relationem quandam ad spiritualia habeant, quatenus ad Ecclesias spectant, & à Fidelibus oblata sunt, ut ad honorem

&

& cultum Dei & SS. Cælitum venerationem, atque Ecclesiæ ministrorum sustentationem applicentur, & per accidens aliquando spiritualia sibi habeant annexa, sicut v. g. castra aut villæ annexa aliquando habent Jura Patronatûs. Alia verò ex intentione sive ordinatione Ecclesiæ spiritualibus sunt annexa; vel antecedenter, ut Ecclesia, Capella, Altaria, Cœmeterium sive locus sepulturæ Ecclesiasticæ, calices, vasa, & vestes sacræ, aliæque hujusmodi, quæ sibi annexa spiritualia, v. g. Consecrationem vel Benedictionem antecedunt, ad eaque veluti subjecta præsupponuntur: vel consequenter, ut sunt Beneficia Ecclesiastica, sive jura percipiendi Reditus beneficiales aut Decimas, Primitias Oblationes percipiendi: quæ officio sive ministerio spirituali, tanquam suæ causæ, fundamento ac radici, ex Ecclesiæ intentione, annectuntur, Pirrhing. *l. cit. Tit. 17. à n. 12.* De quibus saltem antequam Ecclesiæ ministris applicentur,

Dubium & controversia inter DD. est, quis eorum Dominus sit? Nam Innocentius *in c. Cum super de Causa Possess. & Propriet. n. 3.* Major *in 4. dist. 24. q. 16.* Martin. Navarrus *Comment. de Spolijs. §. 2. n. 3.* & cum ipsis Hyacinth. Donatus *Prax. Regular. Tom. 1. p. 2. tract. 14. quæst. 27. n. 1.* eorum Dominium Christo Domino tribuunt; cum propter varios textus, quibus vocantur Pecunia Christi *can. 1. can. Qui abstulerit. 12. q. 2.* Christi Patrimonium *c. Cum secundum 16. de Præbend. & Dignit. & c. Cum ex eo 34. de Elect. & Electi potest. in 6.* Res Dei: Concilij Trident. *sess. 25. cap. 1. ibi, Nec res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, de Reformat.* tum verò; quod hujusmodi Res & Bona à Fidelibus Deo & Christo, in Divinum & SS. Cælitum honorem, cultumque offerantur, & dicentur, *can. Res quæ q. cit.* Quibus accedit communis sensus & vox Fidelium, Ecclesiarum Bona & Proventus *ad Sanctum*, in cujus venerationem & memoriam templa Deo dedicata sunt, pertinere dicentium, sie gehören den Heiligen / eorumque Administratores die Heiligen Pfleger appellantium.

- Sed sicut communiùs recepta, ita veritati multò conformior est doctrina Cardinal. Turrecrematae *Summa lib. 2. cap. 113.* Cajetani *in 2. 2. quæst. 47. art. 8.* Francisc. Sarmienti *de Reddit. Eccles. part. 2. cap. 1. n. 22.* & Lud. Molinae *Traët. 2. de Iust. & Iure. disp. 142. n. 6.* ejusmodi bonorum particulare Dominium esse docentium penes ipsas Ecclesias, sive Collegia, aut Capitula Clericorum; aut ubi talia non sunt, penes Communitatem Fidelium ad talem Ecclesiam spectantium: & penes ipsa Monasteria sive Conventus aut Communitates Religiosorum, si illa dominij capacia, si verò incapacia sint, penes Sedem Apostolicam sive Ecclesiam Romanam: vel potiùs penes ipsum locum Sacrum aut Religiosum tanquam Personam fictam secundùm Glossam *in c. Causa 13. v. Ecclesiarum de Verb. Signif.* Sicut bonorum defuncti, ne nullius, & vacantia, proindeque occupantis essent, Dominium penes hæreditatem esse fingitur, donec hæres aditione Dominus efficiatur *l. Hæreditas 34. ff. de Acquir. rer. dominio l. Hæres. 22. l. Captam 40. ff. de Usurpat. & Usucap. Gloss. & DD. in ll. citt.*
- 8 Dixi autem *Particulare*, non *Universale*, etsi enim Ecclesiarum & Monasteriorum quorumcunque bona omnia subijciuntur Ecclesie Vniversali: cujus pariter universale Caput & Rerum Ecclesiasticarum omnium supremus Administrator est summus Pontifex *can. Imprimis. §. contra hoc 2. q. 1. & c. Licet 2. de Præbend. in 6.* & propterea iste, ad Christianæ Fidei & Religionis Catholicæ publicas necessitates sublevandas & utilitates promovendas, de ijs disponere possit, per tradita à Guilielmo Redoano *de Rebus Eccles. non alien. Rubrica. 30. cap. 4. n. 18.* Particulare tamen illarum Dominium, ut dictum, est penes ipsas Ecclesias & Monasteria.
- 10 Et rerum quidem his oblatarum Dominium penes ista esse (quod cum DD. citt. agnoscit & docet ipse Navarrus *Comment. 2. de Regularibus n. 3. & 8.*) non obscure insinuat *can. Non dicatis. 12. q. 1.* & satis expressum est *can. quoniam 16 q. 1.* ubi Clerici vel potiùs Episcopi *Decimas & Oblationes in Monachorum Dominium*

nium & usum transferre permittuntur: clarè etiam traditur à Concilio Tridentino sess. 25. cap. 3. de Regul. Omnibus Monasterijs, & Domibus tam Virorum quàm Mulierum & Mendicantium (exceptis Domibus Fratrum S. Francisci Capucinatorum, & eorum, qui Minores de Observantia vocantur) etiam quibus, aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex Privilegio Apostolico non erat concessum, concedente, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat: quibus verbis, Monasterijs, & Domibus Religiosorum Dominium competere clarè supponitur aut insinuat: & denique ex eo constat; quòd Monachus, quidquid acquirit, Monasterio acquirat *Auth. Si qua mulier, Auth. Ingressi. C. de SS. Eccles. can. Quia ingredientibus. 19. q. 3. &c.* quòd impropijssimè diceretur, si Monasterio, non Dominium, sed Administrationis tantum jus acquireretur, ut cum Thoma Sanchez lib. 7. Moral. cap. 18. n. 10. advertit Ascanius Tamburinus Tom. 3. de Jure Abbatum disp. 11. q. 2. n. 4.

Idem, de Rerum sibi oblatarum Dominio Ecclesijs Secularibus competente, desumitur à paritate Monasteriorum; quia, quo istis, eodem modo Ecclesijs offeruntur: & ex varijs Sanctionibus Ecclesiasticis, quibus ejusmodi res Ecclesiarum Dos, Bona & Res ipsarum Ecclesiarum, Ecclesiæ facultates communes & ad Sacerdotum jus pertinentes vocantur *can. Si quidam. cum seqq. 10. q. 1. can. Expedit. 12. q. 1. can. Nulli ibid. q. 2. c. causa 13. de Verb. Signif.* Idem satis clarè habetur *c. Episcopi. 4. de Reb. Eccles. alien. ibi, ad jus Ecclesiæ revocabit.* & in terminis *c. 1. de Testament.* sub cuius finem Gregorius Papa, non III. ut vulgatæ lectiones habent, sed I. sive Magnus, non Antonio, ut eadem sonant, sed Anthemio Campaniæ Subdiacono, ut eruditè ostendit Emmanuel Gonzalez *inc. 1. cit. n. 1.* rescribens, *Quidquid, inquit, Ecclesiæ ante ipsius, Episcopi defuncti, Consecrationem fuisse cognoveris, vel in Episcopatus ordine prædictum Episcopum acquisivisse, in ejusdem Ecclesiæ Dominio conservetur.*

Ratio de iisdem Ecclesijs & Monasterijs est; quia ejusmodi res & bona, Fidelium liberalitate, oblata & donata sunt ipsis Ecclesijs,

clesijs, licet intuitu honoris, & cultûs divini ac salutis animarum, ut scilicet in ipsis Divinorum Ministeriorum celebratio, administratio Sacramentorum, & verbi Divini prædicatio stabili-
retur & augetur; & Ecclesiæ Ministri, per quos functiones illæ obeuntur, congruam sustentationem laborumque remunerationem acciperent, & quod superest, in alimenta pauperum
12 erogaretur. Vnde ejusmodi rerum Dominium quantum vis penes Clericorum aut Religiosorum Collegia & Communitates sit, non tamen omnino est absolutum, sed affectum onere atque obligatione, eas non nisi in Ecclesiæ vel Monasterij, hoc est, ipsius Collegij aut Communitatis necessitates utilitatésque, ad cultum Divinum, salutemque animarum, & egentium alimenta impendendi. Molina cit. disp. 142. n. 9. & Castro Palao Tract. 31. disput. unica. p. 7. §. 3. n. 2. in fine.

Haftenus de Ecclesiarum & Monasteriorum Dominio dicta confirmat cit. Sarmiento n. 21. in fine ex eo; quòd una Ecclesia Monasterium &c. contra Ecclesiam vel Monasterium aliud præscribat c. Illud 8. & de Præscript. ex iisque una subjecta sit alteri, & inter eas detur servitus Realis, non obscuro argumento rerum præscriptarum, subjectarum, servientium Dominiij ipsis competentis juxta L. Tria prædia 31. ff. de Servitut. Rustic. præd. L. Usucapio 3. junctâ Glossa V. eodem ff. de Usurpat. & Usucap. &c.

13 In contrarium allata veri speciem majorem, quàm vim habent; quia imprimis can. 1. & can. Qui abstulerit cit. ejusmodi bona non tantum Christi, sed etiam Ecclesiæ Res appellantur.
14 Deinde quia Res, Dos, Pecuniæ, Bona & Patrimonium Christi, & Dei vocantur, non quòd in ejus speciali Dominio, sed ejus intuitu & cum onere, ut in Divinum cultum impenderentur, Ecclesijs aut Regularium Congregationibus oblata sint: vel quòd Christo donentur in ejus ministris, juxta illud, Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis Matth. 25. v. 40. Et denique quòd, cum Christus, quæ Homo, Supremum Caput, & Sponsus sit Ecclesiæ Universalis, & Particularium etiam, ex quibus

quibus illa coalescit, ea, quæ his quasi in dotem, & istius intuitu oblata sunt, quodammodo Res & Bona ipsius censentur & vocentur. Molina *dispnt. cit. n. 7.*

Neque ad propositæ dubitationis resolutionem aliquid conferunt Vulgi sermonibus trita Rerum & Bonorum Ecclesiasticorum appellationes; quia ejusdem usu non minùs receptæ sunt phrasæ: quibus eadem ad ipsam Ecclesiam, Capellam, Monasterium zu dem Gottshaus/Kirchen u. dicuntur pertinere, eorùmque Administratores der Kirchen Pfleger/Pröbst/Verwalter u. vocantur.

ARTICULUS II.

De earundem Rerum Administratione.

SUMMARIUM.

1. Papa est universalis Administrator omnium;
2. Episcopi propriarum tantùm Ecclesiarum,
3. Et suorum Monasteriorum Abbates.
4. Saltem Confirmati:
5. Electi ferè non nisi jure speciali:
6. In locis ab Italia remotis etiam Communi, si ipsorum Electio fuit concurs.
7. Conciliatio c. Nihil 44. & Extravag. 1. inter Com. de Electione.
8. Illius dispositio non afficit Postulatos.
9. In concordia Electorum acta valent, quantumvis postea Electio cassetur.
10. Pralatorum Administratio extenditur ad lites.
11. Etiam sine Capitulo proseguendas:
12. Etsi huic Pralati consensu sit opus.
13. L. ait Prætor 7. §. 2. ff de Jure delib. non obstante.
14. Rectè tamen Pralatus adhibet consensum Capituli.
15. Casus, quibus hoc sine illo agit.
16. Abbatibus in Administratione

17. Quarum tamen potestas multum est restricta. 18. Et Superiorum Localium in Ordinibus Mendicantium. 19. Uti & Rectorum Parochialium & Hospitalium.

Rerum, Bonorum & Jurium; non tantum ad Romanam, sed inferiores etiam Ecclesias, Monasteria, aliaque Sacra & Religiosa loca quaecunque pertinentium, supremam, generalem, & à Deo immediatè constitutam Administrationem penes summum Pontificem esse: & penes hunc, de ijs non solum privatis proprietarum Ecclesiarum &c. sed publicis etiam universalis Ecclesiae necessitatibus exigentibus, aut utilitatibus suadentibus, disponere liberè posse D. Thomæ 2. 2. q. 100. art. 1. Navarri de Reddit. Ecclesiast. quest. 1. monito. 40. n. 6. & 8. aliorumque Theologorum & Canonistarum communis sensus & doctrina est.

2 Post Papam autem & ab isto, ipsis Communicata Rerum & Bonorum Ecclesiasticorum Administratio & Dispensatio competit Episcopis, aliisque Prælatiis Secularibus Confirmatis can. Quis quis §. Omnium 12. q. 2. Vti etiam Abbatibus, Præpositis & cæteris Monasteriorum, aut Congregationum Regularium Prælatiis. 3 can. Nullam quest. 2. cit. ubi Pelagius Papa, *Universa* inquit, *quæ ad Divini cultus reverentiam vel ad utilitatem Monasterij pertinent, Abbatis sollicitudo, ad quem potestas tota pertinere convenit, debet adimplere: c. Edoceri. 21. de Rescript. ibi, Cùm Prælati Regulares ex officio suo teneantur Congregationum suarum negotia procurare. Similia habentur c. Fraternitatem 2. de Donationibus Monachi. 2. &c. Cùm ad Monasterium 6. de Statu Monach. & in Regulis variorum & antiquissimorum Religiosorum Ordinum, S. Basilij Regula 7. & 8 S. Augustini in princip. ibi: *Sint vobis omnia communia & distribuantur unicuique vestrum à Præposito vestro*; S. Benedicti passim, & præsertim cap. 66. ubi S. Patriarcha dissertis verbis, *Nos, inquit, providemus expedire propter pacis charita-**

charitatisque custodiam in Abbatis pendere arbitrio Monasterij
Ordinationem & aliorum.

Dixi, *Confirmatis*; cum, quia Administratio, præsertim Rerum
temporalium, non est actus Ordinis: ac proinde Episcopis aliis-
que Prælati*s* Confirmatis competit ante Consecrationem vel Be-
nedictionem, arg. *c. Nosti. 9. c. Transmissam. 15. de Elect. & Electi
potest.* Gloss. in *c. Nosti. cit. V. Confirmata* Panormit. in *c. Trans-
missam. cit. n. 3.* & ibi Barbosa *n. 3.* tum verò; quia ad Prælatu-
ras tantum electis, ante Confirmationem Administratio tam in
Temporalibus quàm Spiritualibus interdicta est, *c. Nosti. cit. c.
Qualiter 17. de Elect. c. Avaritie 5. eodem Tit. in 6.* quo postre-
mo textu Electis, qui etiam Oeconomi vel Procuratoris nomine,
vel quocunque alio titulo, Ecclesiarum, ad quas electi sunt,
Administrationi se ingerere præsumunt, jure, si quod per Ele-
ctionem ipsis quæsitum fuit, eò ipso privantur, & *Extravag.
Injuncta, eodem Tit. inter Communes,* quâ à Bonifacio VIII. va-
riæ pænæ decernuntur in eos, qui promoventur à Sede Apo-
stolicâ, si ante literas super sua promotione receptas admini-
strent.

Sed, etsi hæc ita se omnino habeant, aliquando tamen
Administratio licita est etiam Electis, non tantum, si illa fiat
cum speciali licentia, quam à Sede Apostolica peti, & cum *Pla-
cet*, ut vocant, obtineri consuevisse notas Lud. Engel *Colleg. Ju-
ris Canon. lib. 1. Tit. 6. n. 51.* Sed etiam vi Consuetudinis, ut
cit. Author advertit: & multò magis vi Privilegij Apostolici: vi
cujus ad valde remotas, scilicet ultra Italiam sitas, & Sedi Apo-
stolicæ immediatè subjectas Ecclesias in Concordia (hoc est, vel
unanimi omnium, vel saltem majoris Capituli partis consensu,
& parte minori contradicendi justam causam non habente, Lai-
man *inc. In Causis 30. de Electione n. 4.*) Electis administrandū
facultas, exceptâ Alienatione, dispensativè indulgetur est. *c. Nihil
44. §. Caterum de Elect. & Electi potest.* Cujus textus dispositio-
nem etiam confirmet praxis Indiæ, in qua ad Episcopatus à Re-

ge Catholico solum presentatos ea, quæ Jurisdictionis sunt, exercere, testis est Emmanuel Gonzalez *in c. Nosti cit. n. 8.* & in Germania nostra etiam observari posse *in c. Nihil cit. tradit Laiman n. 12. Wagnereck V. Ultra Italiam & Prosper Fagnanus n. 19.* præsertim, si Administrationem Capituli præjudiciosam fore appareat. Rectè tamen cit. Interpp. advertunt, Prælatos eâ facultate uti, etsi possent, plerumque non solere; ideòque, dum Confirmatio sequatur, vel specialis licentia obtineatur, Administrationem in Temporalibus Capitulo, vel ab hoc deputato Oecono-
relinquendam.

7 Neque, ut videri potest, huic doctrinæ adversatur *Extravag. Injunct. cit.* quâ tanquam Jure posteriore, dispositionem §. *Ceterum cit.* quoad Electos, quorum Confirmatio ad Sedem Apostolicam, ut Episcoporum in Germania, immediatè spectat, sublatam existimat Passerinus *Tractatu de Elect. cap. 33. n. 35. arg. c. Ut animarum de Constit. in 6. & l. Sed & posteriores. 28. ff. de Legibus* Sed probabilius est contrarium; partim quia *Extravag. cit.* damnatur Administratio suscepta ex temeraria præsumptione: cujusmodi non est concorditer Electorum in locis ab Italia remotis; cum ab istis suscipi præsumatur propter Ecclesiarum, ad quas electi sunt, necessitatem §. *Ceterum cit.* partim verò; quia dispositio Generalis, præsertim Pænalis, qualis est *Extravag. cit.* non includit casum specialem licitum, cujusmodi est dicta Administratio Electorum in locis ab Italia remotis §. *cit.* permessa, ut *in cit. Extravag. Glossa V. Præsumant & in addit. notat.*

8 Neque secundo sequitur Administrationem etiam permisam in Concordia Postulatis; quòd Postulatio Electioni æquiparari, & iisdem ferè regulis soleat definiri; quia hoc verum duntaxat est, quando utriusque eadem ratio est: quod in casu nobis proposito non contingit; cum Electo jus & actio competat ad Prælaturam, non autem Postulato: qui propterea tantum nititur Officio Superioris, Postulationi non Confirmationem debi-

tam

tam ex justitia, sed Admissionis duntaxat gratiam impendentis, Panormit. *in c. cit. n. 7.* & ibi Laiman. *n. 8.*

Neque tertio sequitur, ab hujusmodi ad Prælaturam in Concordia Electo administrante acta, casu, quo ejus Electio, ob defectum personæ vitium, vel defectum Solennitatum *c. Quia propter 42. de Electione* præscriptarum rescinditur, vel irrita declaratur, irrita etiam declaranda vel rescindenda esse; cum enim robur & firmitatem obtineant acta ab eo, cujus Electio jam est confirmata, quantumvis postea detecto vitio à Prælatura removeatur, ut *in c. Nihil cit. cum Ant. de Butrio n. 34.* docet Laiman. *n. 10.* non est, cur sustineri nequeant, quæ juxta *cit. c. §. Ceterum* gesta sunt ab Ultramontano ad Prælaturam in Concordia electo. Sed hanc rem magis expeditam reddet distinctio *l. cit.* tradita à Laimanno; vel enim, inquit hic Doctor, ejusmodi à Prælatura remoti Electio (eadem ferè ratio est Confirmationis) per sententiam v. g. ad unius vel plurium ad eam, cum possent & deberent, non vocatorum instantiam irritata? vel irrita fuit ipso Jure, quòd v. g. Persona irregularis, aut in ejus Electione adhibitæ non sint ad valorem necessariò requisitæ solennitates? Si prius: non est, cur ab eo, saltè antequam de non vocatorum contemptu ageretur, gesta subsistere inficiemur. Si posterius, & personæ Electæ vel Electionis vitium publicè notum; ab eo gesta ob defectum potestatis irrita: Si verò omnino occultum aut saltem publicè ignoratum fuit, valida sunt, ut *in c. cit. cum Glossa V. Administrant* Ant. de Butrio *n. 27.* Innocentio *n. 3.* & Panormitano *n. 11.* docet Pirrhing, *Method. Jur. Canon. lib. 1. Tit. 6. n. 300.* & ratio est; quia hoc ipso, quòd gesta sint autoritate *c. §. cit.* ultra Montes in Concordia Electis Administrationem concedentis, & intervenerit communis error sive ignorantia defectus, Ecclesia defectum potestatis, in Electo aliàs deficientis, supplevit propter publicam necessitatem aut utilitatem arg. *l. Barbarius 3. ff. de Officio Prætor. & can. Infamis 3. q. 7.* quorum textuum argumento probabilius valida sunt acta Prælati solum-

modo existimati etiam non habentis titulum coloratum, utcum Fulgoso in l. Barbarius cit. n. 13. Diana p. 3. Tract. 4. resol. 122. & Ludovic. Schildre de Princip. Conscientia form. Tract. 2. cap. 3. n. 42. & alij ab hoc relati docent.

10 Porro hujusmodi in Concordia Electis, aut saltem Confirmatis Administratio ad Ecclesiarum & Monasteriorum suorum res disponendas & negotia, non tantum extra, sed etiam in iudicio pertractanda se extendit, ita, ut Prælati tam Regulares, quam Sæculares pro ijs agere & respondere in iudicio possint: quod nemo facile inficiatur, & colligitur ex can. *Non dicatis*. 11. §. *Cum hujus*. 12. q. 1. c. *Edoceri cit. &c.*

An autem controversias Judiciales tractare ejusmodi Prælati soli, hoc est, sine consensu Capituli, aut Conventus sui, saltem quo ad bona huic & ipsis communia possint, dubium controversumque reddit Glossa c. cit. v. *Debeant*. asserens, sine hujusmodi consensu vel auctoritatis interventu Prælaturum in iudicio nec convenire posse, nec conveniri: idque suadere videtur paritas cum Capitulo vel Conventu, à quo in causis ad ipsum & Prælaturum communiter pertinentibus, actionem aut defensionem iudicalem suscipi sine assensu & auctoritate Prælati non posse, c. *Causam*. 9. De *Judicijs* decisum, & ratio est; quia ex una, Prælati Ecclesiæ vel Monasterij sui res immobiles aut mobiles pretiosas alienare nequeunt sine consensu Capitularium can. *Sine exceptione*. 12. q. 2. c. 1. c. *Cum vos*. 3. c. *Tua*. 8. &c. De *his, qua à Prælati &c.* ex altera verò parte, qui rem prohibetur alienare, eam in iudicium deducere non potest, ut regulæ generalis instar traditur, & desumitur ex l. *Ait Prætor*. 7. ff. de *Jure deliberandi*, cujus §. 2. *Labeo Absurdum*, inquit, *est, ei, cui alienatio interdicitur, actiones exercere.*

11 Sed melius super ejusmodi Bonis & Juribus communibus in iudicio agere & respondere, si ardua aut magni momenti causa non sit, Prælaturum sine Capituli aut Conventus sui consensu posse in c. *Edoceri cit.* defendunt Panormit. n. 6. Felinus n. 2. Barbo-
sa

sa n. 2. Gonzalez n. 2. & alij præsertim Interpretes passim, id colligentes ex *cit. c. Cùm olim. 17. de Restitut. Spoliat. c. Auditis. 15. de Prescript. Rationem reddunt; quia Prælati, juxta dicta, habent liberam & generalem Administrationem rerum communium Ecclesiarum suarum vel Monasteriorum, à SS. Canonibus sibi permissam. §. Omnium can. Nullam c. Edoceri *cit. &c.* cujusmodi Administrationem à Jure obtinentes in judicio agere & conveniri possunt, ut patet in Tutore, qui pro bonis pupilli. *l. 1. §. 2. l. Si Tutor 2. ff. de Administ. Tut.* Andr. Gaillius *lib. 2. observat. 108. n. 8* & in Patre; qui pro Bonis Adventitijs filij familias agere & respondere in judicio possunt, *l. 1. Vers. Parentes de bonis maternis.* Quibus sicut honorabiliorem, ita amplio-rem potestatem in Ecclesiarum vel Monasteriorum suorum rebus Prælati habent, ut cum Glossa observat. *Panormit. cit. n. 6.**

Quare hac in re lata disparitas est inter Prælaturam & Capitulum seu Conventum; quia rerum ipsis communium libera Administratio, cui agendi jus coniunctum est, penes illum, non Capitulum residet Ecclesiæ Prælaturam non vacante; cùm illius Caput sit Prælatus, cui Capitulares tanquam membra subiiciuntur *can. Scire debes 7. q. 1. c. Novit 4 De ijs, quæ à Prælat. &c. c. Requisivisti. 15. de Testament.* Felinus *in c. Edoceri cit. n. 3.*

Neque aliud ratio, & in qua hæc fundatur, Regula persuadet; quia imprimis non desunt, qui apud Laiman *in c. cit. n. 10.* existiment *l. Ait Prætor §. 2. cit.* ex qua Regula illa desumitur, contineri casum specialem: quo hæres, dum de adeunda hæreditate in deliberatione versatur, ex illa sicut alienare, ita in iudicium aliquid deducere non potest; cùm, hæreditate nondum aditâ, rerum nec Dominium habeat, nec à Lege concessam Administrationem. Deinde quia, etiamsi in aliis etiam casibus locum habeat, tamen non procedit in iis personis, quæ non proprio, sed alieno, ut Prælatus, Ecclesiæ vel Monasterij nomine in iudicio agunt *Panormit. in c. cit. n. 6.* Denique quia, si ejus veritas esset universalis, Prælatus, qui sine consensu Apo-

stolico vi proprii juramenti, & *Extravag. Ambitiosa inter Communes de Reb. Eccles. alien.* ubi hæc usu recepta est, non potest alienare, sine ejusmodi consensu agere in iudicio vel respondere non posset: uti etiam Pater & Tutor; quia ille Bona Adventitia Filij, iste verò Pupilli res plerásque alienare non potest, contra *ll. citt. text.*

14 Et si verò administrandi agendique libera potestas de Jure competat Prælatis, tutius tamen, & propter autoritatem Glossæ in contrarium allatæ, etiam consultum est, ut ad alicujus momenti negotia expedienda, & super Ecclesiarum rebus ortas lites in iudicio prosequendas consensus vel saltem consilium Capituli adhibeatur, ut præter alios notat Laiman *in c. Edocerè cit. n. 10.*

Rectè etiam iste aliique DD. excipiunt imprimis casum, quo ardua & magni momenti causa v. g. de Ecclesiæ vel Monasterii subjectione, ejus dignitatis diminutione, limitum restrictione in iudicio est pertractanda; tum enim Prælato actionem aut defensionem suscipere volenti Capitulari consensu opus est secundum omnes teste Felino *cit. n. 3. V. Prima.* Deinde casum, quo Capitulum vel Conventus ageret pro recuperatione rerum Ecclesiæ vel Monasterii malè alienatarum, præsertim si eam negligeret Prælatus: uti etiam, quo lis esset super rebus à Prælaturæ bonis omnino separatis, & Capitulo vel Conventui specialiter attributis, etiam quò ad Administrationem; utroque enim hoc casu agere & respondere Capitulum sine Prælati consensu potest secundum *cit. Panormit. n. 6. & 7.* nisi causa esset ardua, hæc enim etiam cum de bonis separatis agitur, neque à Capitulo sine Prælato, neque ab isto sine illo expediri potest secundum Regulam ab eodem Panormit. *in Clement. 2. De Reb. Eccles. alien. n. 2.* traditam & receptam à Felino *l. cit.*

16 Abbatibus, aliisque Religiosorum Prælatis quò ad omnia, quorum sexus fæmineus capax est, ferè æquiparantur Abbatissæ, & his similes Monialium Monasteriis Præpositæ Feminae, ita
ut

ut, sicut illi, ita etiam ista Monasteria sua vel Conventus, Bona & Jura ad illa pertinentia administrare, illorum negotia procurare, & super illis per constitutos procuratores agere, & respondere in iudicio de Jure possint, Glossa in *c. Dilecta* 12. *v. Jurisdictione de Majorit. & Obed.* Panormit. in *c. Continebatur.* 2. *De ijs, quæ à Prælat. n. 4.* Navarrus *Comment. 3. de Regul. n. 4.* Ascanius Tamburin. *De Jure Abbatif. disput. 32. quest. 13. n. 2.* & Hyacinth. Donatus *Tom. 4. Prax. Regul. tract. 8. quest. 16.*

De Jure, inquam; quia istarum auctoritas & administrandi ¹⁷ potestas à specialibus Ordinum Regulis & Consuetudine multum est arctata: & hodie passim non tantum à Conventus sui Monialium consensu, sed Superioribus suorum Ordinum Prælati aut Diocesium Ordinarijs, in plerisque alicuius momenti negotiis pendent, ut cit. Tamburin. *n. 3.* observat.

Eodem modo, & Jure speciali in Monasteriis Virorum, re- ¹⁸ rum communium Administratio & super iis agendi facultas non ita libera, sed restricta est, Prælati aliisque eorum Præpositis, præsertim in Religionibus Mendicantium: in quibus Locales superiores v. g. Priores, Rectores, Guardiani à Præpositis Provincialibus; isti verò ab uno totius Ordinis Generali, tanquam à Capite, sicut, quò ad Jurisdictionem Potestatemque in sibi subditos Regulares exercendam, ita etiam, quò ad Ecclesiarum, Monasteriorum & Collegiorum, Rerumque & Jurium ad ea pertinentium Administrationem pendent. Quanta autem huiusmodi Subordinatorum tam Provincialium, quàm Localium Superiorum cuiusque administrandi potestas sit, non tam ex Comuni, quàm speciali Jure, sive cuiusque Religionis Constitutionibus, Privilegijs, & receptis Consuetudinibus est desumendum. Et quidem in Societate Jesu, cuius Subordinati Superiores à Supremo sive Præposito Generali plurimum dependent, Suarez *Tom. 4. De Relig. Lib. 10. cap. 5. n. 6. Ad cognoscendam*, inquit, *uniuscujusque Prælati facultatem, utendum potius est affirmativâ*

mativâ quàm negativâ Regulâ, id est, id unumquemque posse, quod sibi concessum est, non verò, quod sibi non est prohibitum.

19 Prælati Sæcularibus Episcopo inferioribus similem Ecclesiarum suarum, Rerumque ad eas spectantium Administrationem; ac proinde super iis actionem, defensionemque Rectoribus Parochiarum, & in his Canonicè institutis Vicarijs Perpetuis eum Felino *in c. G. Perpetuus: 12. de Fide Instrument. n. 4* tribuunt Wagnereck *in Exegetic. Edocerit. Not. 6. & cit. Pirthing Tit. 1. à n. 34.* & obtinere Rectores Hospitalium, aliorumque Piorum Locorum auctoritate Episcopali erectorum, supponi videtur *Clement. 2. de Relig. Domib.* Quamvis illorum, & istorum potestas hodie non sit ita libera & absoluta, multumque pendeat ab Episcopis, & in multis locis à Principibus aut aliis Magistratibus Sæcularibus: imò multarum Parochiarum Res Temporales in pluribus Provinciis, Germaniæ præsertim nostræ, administrantur per sæculares vulgo die *Kirchen-Pröbst / Kirchen-oder Heiligen Pfleger* / ut ex *Recessu Concordatorum* inter Serenissimos & Potentissimos Principes Baviaræ nostræ ex una, & Diocesum Ordinarios ex altera parte 1583. initorum *art. 1 §. Damit aber constat: & de rebus ad illas, & alias Ecclesias & Capellas pertinentibus Contractus cum Ecclesiastici & Sæcularis Magistratûs consensu celebrentur, ut in iisdem Concordat. Art. 5. §. 3ten Contracten* habetur.

ARTICULUS III.

De Rebus, quarum libera Alienatio Prælati est prohibita.

SUMMARIUM.

1. Res Ecclesiarum sine causa alienari nequeunt etiam à Papa,
2. Illarum non Domino, sed Administratore,
3. Non

3. Non adstricto ad Solennitates;
4. Neque LL. aut Pœnis Ecclesiasticis obnoxio.
5. Significatio Vocam Papa & Roma.
6. Expositiones difficillimi text. Can. Non liceat. 12. q. 2.
7. Papâ inferiores Pralati liberè non alienant Immobilia,
8. Spectato Jure Imperiali,
9. Gregorij IX. Authoritate & usu approbato;
10. Jure Ecclesiastico Antiquo;
11. Recentiore Constitutionum Apostolicarum;
12. Et Decreto Congreg. Card. Trident. Interpp.
13. Ratio prohibita Alienationis Immobilium.
14. Idem prohibentur alienare Mobilia Pretiosa.
15. In specie oppida, castra, prædia &c.
16. Ususfructum & Redditus annuos,
17. Jura & actiones ad illa.
18. Pretiosam Ecclesia supellectilem,
19. Reliquias SS. insignes,
20. Bibliothecam,
21. Servos, sive Mancipia Ecclesiastica,
22. Præsertim Rustica;
23. Integros greges, armenta,
24. Alias res solitas fructificare.
25. Quæ Pretiosa, desumendum à Consuetudine,
26. Pralato permittente Pretiosorum Commutationem &c.
27. Pecunia inter Mobilia censetur,
28. Nisi ad Mobilium Emptionem destinata sit,
29. A Donato Testatore &c. non ab ipso Pralato:
30. Vel ad futuras necessitates in Ecclesia thesauro asseruetur.

Rerum Ecclesiasticarum liberam, & justâ causâ destitutam Alienationem Prælatis, aliisque Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorum Sacrorum, aut Religiosorum locorum Administratoribus quibuscunque, & ipsi etiam summo Pontifici non permissam cum Navarro *Comment. de Spolijs Cleric. §. 2. à n. 2.* Archidiacono *in can. Non liceat 12. q. 2.* Turcremata *in can. Videntes causâ & quest. eâdem n. 5.* Panormit. *in c. Constitutus §. de Religios. Domib. n. 15.* docent Redoanus *de Reb. Eccl.*

C

clef.

cles. non alien. Rubr. 30. casu. 4. n. 15. Bonacina Tract. eodemq. unica p. 5. §. 1. & 2. & Donatus Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. Tract. 14. q. 27. d. n. 1. idque non solum propter Juramenta, quibus, imprimis in sua Promotione ad apicem Cardinalatus: dein occurrente Sedis Apostolicæ vacatione in Conclavi: & demum in suæ personæ ad summi Pontificatus fastigium Assumptione, Coronationeque, se Ecclesiæ bona non alienaturum, in eorumve alienationem non consensurum promittit, teste Fran. Leone
2 *Theaur. Fori Eccles. p. 1. cap. 15. n. 1. in fine. sed etiam, quod Rerum Ecclesiasticarum ipse, non Dominus, sed Administrator, Conservator, & Dispensator sit, secundum receptam doctrinam D. Thomæ. 2. 2. q. 100. art. 1. ubi ad 7. ait. Quamvis enim Res Ecclesia sint ejus, Papæ, ut principalis Dispensatoris, non tamen sunt ejus, ut Domini & Possessoris, qui possideat nomine sui ipsius, sicut Laici communiter possident bona sua: quæ posteriora verba addit Donatus q. cit. n. 2. quia Rerum Ecclesiasticarum Dominium, præsertim omnino absolutum, à Christo ipsi traditum nusquam habetur; ac proinde illarum tantum habet Administrationem: quæ, quantumvis plena, & à potestate humana quacunque independens sit, constricta tamen est à Lege Divina & Naturali, cum ad Romanæ, aliarumque Ecclesiarum &c. Res, in suam, & Ministrorum Ecclesiasticorum sustentationem, Ecclesiæ Necessitates, Utilitatesque, Fidei Christianæ, & Catholicæ Religionis Conservationem, Defensionemque, & Propagationem, bene meritorum Remunerationem, Pauperum aliorumque egentium, alimenta &c. impendendas obligante juxta can. Aurum. 12. q. 2. & illud Christi: Petre pasce oves meas. Joan. 21.*

3 *Justâ autem causa interveniente, Romanæ & inferiorum Ecclesiarum &c. Res alienare hoc ipso, quod potestate & lege humanâ quacunque superior sit. can. Cuncta &c. 9. q. 3. sine ulla solennitate potest.*

Neque, ut videri potest, hujusmodi summi Pontificis alienationi

nationi obstat famigerata, & perquam difficilis Constitutio Symmachi Papæ, qui, *Non liceat*, inquit, *Papæ pradium Ecclesia alienare aliquo modo pro aliqua necessitate: nec in Usufructum rura dare &c.* constitutâ poenâ, *ut venditor honorem perdat, & qui subscripserit, Anathema sit cum eo, qui dedit, vel qui recepit &c. can. Non liceat 12. q. 2.*

Non, inquam, obstat; quia Symmachus Successori suo imperare, ponere legem, sive Jus dicere non potuit, neque voluit; cum par in parem imperium non habeat per text. *c. Innotuit 20. §. Quamvis de Electione & l. Nam Magistratus 4. ff. de Recept. Arbitr.* multò minùs ligare eum voluit, aut potuit Excommunicationis, vel aliâ Censurâ; Navarrus *Manual. cap. 27. n. 17.* & Suarez *de Censur. disp. 5. sect. 1. à n. 27.* partim quia hæc ferri in eos duntaxat potest, qui potestati Ecclesiasticæ sunt subjecti Vgolinus *de Censur. Tab. 1. cap. 17. §. 6. à n. 4.* Papa autem ulli Humanæ potestati subjectus non est *can. Nemo, can. Aliorum & seqq. q. 3. cit.* Partim verò quia Papæ, etsi legibus Ecclesiasticis, ipsi & reliquis Fidelibus, quoad materiam, communibus, quoad vim Directivam astringi concedatur, ut non pauci DD. volunt propter *Vulgata, Patere legem, quam tu ipse tuleris c. Cum omnes 6. de Constitut. & digna vox est Majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri. l. Digna 4. C. de LL.* illis tamen, quamdiu Papatum retinet, non subiicitur quoad vim Coactivam: ad quam Censuras aliâsque poenas Ecclesiasticas pertinere, non est, qui inficietur, *citt. Navarr. Vgolinus à n. 8. & Suarez n. 27.*

Huic autem doctrinæ, ne *alleg. can. Non liceat* textus ad-
versaretur, varias ejus expositiones Interpp. excogitarunt. No-
bis placet gemina Barbolæ *in can. cit. n. 5.* quas priusquam de-
mus, notandum est, nomine *Papæ*, quæ Græca vox est, & Patrem
significat, non solum Romanæ & Universalis Summum, Pontifi-
cem, sed Græcæ Patriarchas, imò inferiorum etiam Ecclesiarum,
& simplices Episcopos vocari à SS. PP. consuevisse, ut constat ex
pluribus Epistolis S. Hieronymi, Augustino Papæ inscriptis, &

eruditè ostendit Tholosanus *Syntag. lib. 15. cap. 2. n. 13.*

Nomine etiam *Roma* non tantùm cum adjectivo *Nove* secundùm *can. Constantinopolitana dist. 22. & Novell. 70. cap. 1.* sed etiam simpliciter prolato Constantinopolim fuisse appellatã, cum eodem *cap. 5. n. 7.* tradit Florimund. Remond. *in Fabula Joanne Papa cap. 25. n. 3.* Quin eodem nomine etiam Toletanam & Valentinam Hispaniæ Vrbes nuncupatas, testes sunt Molina *de Primogenijs Hisp. lib. 1. cap. 2. v. 11.* & Joan. Vassæus *Chronic. Hispania tom. 1. cap. 10.* unde

6 Prima. *can. Non liceat cit.* interpretatio est, ibi nomine *Pape* intelligi solos Prælatos Romano Pontifice inferiores: quam Barbofa *l. cit.* defumit & firmat ex eo; quòd textu illo Rerum Ecclesiasticarum Alienationes pro quacunque necessitate prohibeantur; quæ prohibitio afficere nequit summum Pontificem, de ejusmodi rebus, exigente aut suadente justâ causâ, liberè & licitè disponentem arg. *c. Licet. 2. de Præbend. & Dignit. in. 6.*

Altera, & magis communis est; quòd, etsi *can. cit. Pape*, nomine veniat summus Pontifex, eique alienatio, non pro qualibet, sed exigentis tantùm Ecclesiæ necessitatis aut utilitatis suadentis, vel alia simili justa & rationali causa permittitur, id tamen non proveniat ex Symmachi, aut Alterius cujuscumque Antecessoris, sed ex dictamine propositæ ab illo Legis Naturalis: quâ sine justa causa hujusmodi res Ecclesiasticæ quocunque modo alienate, non minùs, imò multò magis, quàm inferiorum Ecclesiarum Episcopi, aliique Prælati & Administratores, Romanus Pontifex prohibetur per tradita à Turrecremata in *can. cit. n. 3.* Ægid. Bellamera *ibid.* & Redoano *Tract. cit. Rubrica 30. casu 4. n. 11.* Anathema autem sive Excommunicationem, & ceteras pœnas *can. cit. V. Quæ lege* decretas non ad Papam in casu non licito alienantem, sed eo inferiores Ministros, Custodes & Administratores Rerum Ecclesiasticarum, istas illegitime vendendo, donando, aut quovis alio modo alienantes spectat, ut cum *cit. Turrecremata n. 4.* advertit *cit. Barbofa n. 5.*

Supre-

Supremo autem hoc Inferioribus Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque Sacrorum, & Religiosorum Locorum Prælatibus, Rectoribus, & Administratoribus, exigente etiam, aut suaudente iustâ causâ, interdicta sine Canonicis Solennitatibus præcipuè est Alienatio Rerum sive Bonorum Immobilium.

Jure quidem Civili ab Imp. Leone & Anthemio, qui *l. Jubemus* 21. *C. de SS. Eccles.* voluerunt nulli esse facultatem fundos, vel prædia, sive Urbana, sive Rustica, Res postremò immobiles, sub cuiuscunque Alienationis specie, ad quamcunque transferre personam. Quæ, ut vocatur *Leonina*, & Ecclesiam solùm Constantinopolitanam spectans prohibitio imprimis ab Anastasio, ejusdem Orientis Imp. latâ lege *ad loca foris posita*, sive Ecclesias extra Urbem & Sedem Imperatoriam sitas & Constantinopolitano Patriarchæ subjectas secundùm *Novell. 7. princip. V. Ab Anastasio*: deinde à Justiniano utriusque Successore ad quasunque Ecclesias, Monasteria, aliâque Loca Pia & Religiosa ubique terrarum existentia extensa est, ita ut illorum Res Immobilis vendi, donari, commutari, aut quocunque alio modo, & in quamcunque personam alienari non posset, quin memoratâ Leonis Constitutione latæ pœnæ incurrerentur. *Novell. cit. §. Nos igitur §. Quia verò Leonis pia memoria §. Si verò in perpetuum. Novell. 46. princip. V. Nuper igitur & Novell. 120. &c.* ex quibus Constitutionibus *l. Jubemus cit. subjecta Auth. Hoc jus porrectum*, est desumpta teste Gonzalez in *c. Nulli 5. De rebus Eccles. alien. n. 7.* Denique eadem prohibitio Leonina ab Ecclesia approbata, & quasi Canonizata est: non quidem, ut aliqui volunt. *can. Ea enim aut can. Hoc jus porrectum 10. q. 2.* quia à Gratiano in Decretum relati textus reducendi sunt ad fontes, ex quibus sunt deducti, ac proinde *canones cit. eam*, quâ Justinianæ Codex pollet, hoc est Imperialis, & non Ecclesiastici Juris obtinent Authoritatem per tradita à Gutierrez *lib. 1. Canon 22. cap. 21. n. 32.* & Barbosa in *Prœem. Decreti Gratiani n. 10.* sed à Decreto Concilij celebrati apud Sylvanetum,

Etum, à Gregorio Papal X. Decretalibus inserto & relato *c. Nulli cit.* atque insuper usu, sive consuetudine immemoriali Fori Ecclesiastici, *alleg.* prohibitionem Leoninam & *Auth. Hoc ius cit.* non minùs quàm summorum Pontificum Constitutiones & Decreta Conciliaria observantis, approbato Panormit. *inc. Nulli cit. n. 14.* & Pirrhing *Method. Jur. Canon. lib. 3. Tit. 13. n. 4.*

- 10 Canonico autem Jure, eorundem Immobilium à Solennitatibus absoluta Alienatio prohibita est *can. 1. can. Monemus 17. can. Quisquis 19. can. Quidquid 34.* ubi à Concilio Agathensi, quidquid Parochiarum Presbyteri de Ecclesiastici Juris possessionibus distraxerint, pro *inani haberi jubetur can. Sine exceptione 50.* quo relatus Leo Papa generaliter, & sine exceptione decernit, *Ne quis Episcopus de Rebus Ecclesia sua quicquam donare, vel commutare, vel vendere audeat &c. 12. q. 2.* Quibus textibus pro Immobilium Conservatione salubriter decreta *c. 1. c. Cum Apostolica 7. c. Tua 8. De ijs qua à Pralat. c. 1. c. Nulli liceat alienare Rem Ecclesia sua Immobilem 5. c. Si quis 6. &c. Unico in 6. Clement. Dudum: De Reb. Eccles. non alien. & omnium maximè Constitutione Pauli II. Extravag. Unic. inter*
- 11 *Communes eodem Tit. relata confirmantur, & declarantur: & cum tempore accesserint imprimis Decretum PP. S. Synodi Tridentinæ sess. 22. cap. 11. de Reformat. Deinde Corpore Juris non clausæ varix Constitutiones Apostolicæ Leonis X. quæ incipit *Ad audientiam 8.* Id. Maij 1517. Julij III. quæ incipit *Cum sicut accepimus 23.* Maij 1552. Pauli IV. quæ incipit *Injunctum pridie Id. Julij 1556.* Pij V. quæ incipit *Et si de singulis 11.* Calend. Januarij 1569. Clementis VIII. quæ incipit *Ad Romani 1592.* editæ, & à Cherubino in *Bullar. Romano, Redoano Tract. cit. ad finem Donato E. cit. quest. 2. n. 5. &c.* relata. Et denique Urbani VIII. jussu 7. Septemb. 1624. editum, & earundem Rerum Temporalium, ad Monasteria, Conventus, Collegia, Congregationes, aliásque Religiosorum Domos pertinentium conservationem pertinens *Decretum S. Gongreg. Cardinal. Interpp. Concilij Tridentini: cujus mentio redibit p. 2. art. 5.* Hu-*

Hujus, tam multiplicis & constantis prohibitionis ratio præcipua fuit, Necessitas & Utilitas Ecclesiarum, aliorumque¹³ Locorum Sacrorum & Religiosorum: quibus ad conservandam fabricam, congruam sustentationem, & salaria ministris præbenda, alendos pauperes, aliasque Necessitates sublevandas, omnino expediebat, imo necessarium fuit, conservari Bona Temporalia Immobilia *can. Si quis obiecerit 1. q. 3.* istorumque liberam, & ab omni Canonica solennitate absolutam distractionem Administratoribus prohiberi: sicut sine Legali solennitate prohibita Tutoribus & Curatoribus est Alienatio Rerum Immobiliium alicujus minoris *l. & §. 1. ff. De Reb. eorum, qui sub Tutela. & l. non est 2. C. de Prædijs minorum* Quibus non minus in hac re Privilegiatæ sunt Ecclesiæ *arg. c. 1. & c. Auditis 3. De in Integ. Restit.* propter periculum; ne Prælatorum, sæpe sibi & consanguineis suis plus æquo studentium, prodigalitate, & cæteris alienæ Administrationis vitijs facilè lædantur.

Iisdem Prælati Papæ inferioribus interdicta etiam est Alienatio Rerum Mobilium Pretiosarum, quæ servando servari¹⁴ possunt, *Extravag. Unica cit. & Decreto S. Congregat. n. 12.* relato, ad Ecclesias, Monasteria &c. pertinentia, sicut Immobilia, ita etiam Pretiosa Mobilia prohibentibus; & argumento *L. Lex quæ 22. ff. De Administ. Tut. Mobilium Pretiosorum Alienationem Tutoribus prohibentis.* Ratio est; quia Res Immobiles & Mobiles Pretiosæ pari passu ambulant: & quò ad difficultatem & solennitatem Alienationis æquiparantur *L. cit. & L. Sancimus 21. C. De SS. Eccles. Panormit. in c. Nulli cit. n. 8. & Stephan. Quaranta in summa Bullar. V. Alienatio Rev. Eccles. n. 24.*

Quare, etiam ex justa causa, de rebus ad Ecclesias, Mona-¹⁵steria &c. pertinentibus, sine Canonica solennitate alienari in specie nequeunt. Primò Oppida, Castra, Pagi, Villæ, Prædia, Fundi, & similia Bona, quæ habent Radicem & Corporalia vocantur *L. jubemus c. Nulli aliis que text. cit.*

Secundò V usufructus, Census seu Redditus, & Pensiones¹⁶ annuæ

annuæ ex re Immobili, prædio, fundo &c. provenientes, aliâque ejusmodi Jura incorporalia; quia propter stabilitatem & firmitatem suam Rebus Immobilibus accensentur; ac proinde cadunt sub liberæ Alienationis prohibitionem per *arg. c. Hoc consultissimo. 2. junctâ Glossâ V. Jura de Reb. Eccles. alienan. in 6.* & expressum textum *Clement. 1. De Verb. signif. ibi, Cùmque annui Redditus inter Immobilia censeantur à jure. Quaranta V. cit. n. 26.* & *Barbosa De Officio Potest. Episc. Allegat. 95. n. 44.*

17 Tertio Jura & actiones rerum Immobilium & Mobilium Pretiosarum Immobilibus æquiparatarum. Idem n. 46. & *Palao Tract. 12. Disp. unicap. 15. §. 1. n. 1.* cùm etiam ista Immobilibus accensentur: & merito; quia, ut bene *Gomez. Tom. 2. Var. cap. 14. n. 14.* talis judicatur actio, qualis est res, ad quam actio datur: & propterea, si quærat, an, quando Prælati nomine Ecclesiæ cedit actionem, Canonice solennitates requirantur, spectanda est res, ad quam illa datur; & siquidem ista Immobilis est, aut Immobili æquivalet, illarum interventu est opus: si verò Mobilis, & non Pretiosa sit, cedi liberè potest, ut ex communi & saltem in materia proposita, recepto *DD. sensu tradunt Azor p. 2. Instit. moral. lib. 9. cap. 1. q. 6.* & *Redoanus Tract. cit. Rub. 13. n. 15.*

18 Quarto Vasa aurea vel argentea, torques, tapetes & similia Templorum Ornamenta, auro, gemmis &c. intertexta; & cætera magnæ æstimationis Supellex, quæ est de Thesauris Ecclesiæ, eique propter materiæ pretium, artem vel antiquitatem, singularem confert splendorem; quia sunt Mobilia Pretiosa, *Lud. Engel Colleg. Jur. Canon. lib. 3. Tit. 13. n. 5.*

19 Quinto SS. Cælitum, non solum integra Corpora, sed aliæ etiam Reliquiæ insignes, v. g. Caput, Brachium, Manus, Pes alicujus Sancti, qui in magna apud omnes est veneratione; quippe, quæ auro, argento, gemmisque, & omni thesauro sunt pretiosiores teste *S. Chrylost. Homil. 8. de Laudibus S. Pauli,* præsertim, si muro inclusæ, aut aliter honorificè reconditæ essent;

essent; harum enim, uti & particularum insignibus reliquijs detractarum distractionem non facilè permitti, patet ex Praxi sive Stylo Curiaè Romanæ, eoque receptis Clausulis: & testantur M. Ant. Genuens. *Prax. Curiaè Archiep. cap. 71. n. 6.* & Riccius *Prax. Fori Eccles. p. 1. Decis. 63. n. 5.*

Sextò, Bibliotheca saltem copiosa, Tamburin. *de Iure Abbat. Tom. 3. Disp. 13. q. 2. n. 8. in fine,* & Lezana *summa 22. Regul. cap. 10. n. 4.* non singuli libri, præsertim destinati pro alijs melioribus, & utilioribus comparandis, nisi propter antiquitatem, aut aliam similem causam, Ecclesiaè vel Monasterio afferrent specialem utilitatem vel splendorem; huiusmodi enim, tanquam res Mobiles Pretiosa, Alienationi non solenni obnoxij non sunt, Donatus *Tract. cit. quest. 50.*

Septimò, Mancipia Ecclesiastica sive Servi, ex quibus, à Fidelibus, pro suorum peccatorum redemptione, donatis aut venditis Ecclesiasticum Patrimonium olim magnam partem sæpe constabat, teste Gonzalez *in c. Injustum 4. de Res. Permut. n. 4.* & propterea, tanquam Pretiosa res, alienari prohibiti sunt *c. Episcopi. 4. de Reb. Eccles. alien. & c. Injustum. cit. & c.* exceptis ferè tribus casibus: & Primò quidem, si ejusmodi servi essent fugitivi: qui, quòd Ecclesiaè judicarentur inutiles, permutari, vel alio modo alienari poterant, per *text. can. Fugitivi. 12. q. 2. & c. Injustum cit.* Secundò à Prælate, qui Ecclesiaè de rebus suis tantundem contulit, vel acquisivit, manumitti, juxta collataè rei modum, permittebantur *can. Injustum, can. Si quisqualibet & c. q. cit. can. Si Episcopus. 12. q. 5. c. Consensus. 3. & c. Episcopi cit. de Reb. Eccles. alien.* Tertiò Servi benemeriti, hoc est, qui insigne aliquod servitium Ecclesiaè, vel istius intuitu, Prælate præstiterunt, libertate donari poterant, ex concessione Concilij Agathens. *can. Si quos de servis q. 2. cit. relati Glosa & Turcremata ibi in princip.*

Octavò, Multò minùs alienari ab Ecclesiarum Prælati, & alijs Administratoribus poterant Mancipia Rustica, sive Servi

D

glebæ

glebæ aut fundo excolendo adscripti, per *tex. c. Nulli. §. cit. & Novell. 7. cap. 1.* quòd hujusmodi Mancipium sive Servus fundo quodammodo inhærere, imò ejus portio, sive pars quædam esse videatur; atque ita inter Immobilia connumeretur. *l. Jubemus cit. & l. Si quis inquilinos 112. ff. De Legatis. 1. Panormit. in c. Nulli cit. n. 2. Menochius Retinende possess. Remed. 3. n. 117. & Molina Tract. 2. de l. & l. disput. 465. n. 3.* cùm ejusmodi Mancipium, licèt naturaliter à fundo discretum corpus, pars tamen istius sit instrumentalis; ideòque terræ, ejus culturæ destinatum est, quodammodo membrum vocetur *l. Cùm satis 23. C. de Agricol. & Censu. &* ratione connexionis sequatur naturam agrorum & prædiorum, quibus cohæret, ut colligitur ex *l. Longæ. 3. ff. de Divers. & temp. Præscript. & eo;* quòd Judæi, quantumvis emere & retinere Christiana Mancipia, sive servos non possint *can. Fraternitatem Dist. 54. c. Multorum. 2. Princip. & c. fin. de Judæis,* Adscriptitios tamen, & ex eis Natos sive Originarios habere permittantur *c. Multorum cit. §. Hi verò. Panormit. ibi n. 1. Sylvester V. Judæus, quæst. 2. & Sanchez lib. 1. Moral. cap. 31. n. 31.*

23 Nondò, integri Greges ovium, Armenta boum &c. quia, propter continuam multiplicationem fœtuum, computantur inter Res mobiles Pretiosas, Immobilibus æquiparatas: & servando possunt servari. *§. Sed & gregis. 38. Instit. De Rerum Divisione,* etsi singula animalia distrahi liberè possint *cit. Genuens. cap. 75. n. 7. & Riccius Decis. 61.*

24 Decimò, generaliter aliæ Res, quæ Ecclesiæ, Monasterio &c. annuos fructus afferre, & servando servari, sive, ultra triennium durare consueverunt, secundum Gloss. in *l. Unic. V. Usucapione C. Si adversus Usucap. Azor. cap. 1. cit. q. 5. & Palao cit. §. I. n. 2.*

25 Quanti autem valoris, ut Pretiosæ censeantur, esse debeant Res Mobiles, non satis constat; nam *cit. Palao,* ut centum aureorum valorem attingant, requirit: *Donatus Tract. cit. quæst.*

quest. 48. n. 2. triginta: Diana p. 4. Tract. 4. Miscell. Resol. 227. viginti quinque aureis aestimatas, Pretiosas, & alienari sine solennitate prohibitas censeri: idque à S. Congreg. Cardinal. declaratum refert, etsi valde notandam moneat opinionem Palai.

Nobis hac in re attendenda videtur Praxis, & Consuetudo: quæ in una Provincia plùs, quàm in alia: & plùs Episcopis quàm alijs Prælati: & ex his ijs, qui S. R. I. Principes aut Status sunt, plus quàm alijs indulget: & Prælati Calicum, aliorumque vasorum aureorum & argenteorum, & aliorum ejusmodi veterum, quantumvis notabilis pretij, Ornamentorum Commutationem pro novis permittit; quòd talis Commutatio, cum non nisi in bonum Ecclesiæ intendi soleat, ferè obnoxia non sit periculo damnificationis, ut advertit cit. Engel. n. 5.

Neque, ut arguit Quaranta V. cit. n. 24. obstat; quòd Prælati sint quasi Ecclesiæ Tutores: quibus Mobilium, quæ servando servari possunt, omnium Alienatio est interdicta l. Lex que cit. quia sicut Prælatorum munus, utpote perpetuum, tempore; ita etiam potestate amplius est, quàm Tutorum, quorum Officium tantum est temporale. Vnde etiam, quod Tutoribus non ita facilè permittitur. l. Tutor. 13. §. 2. ff. De Administ. Tutor: modicas Donationes, etiam gratuitas, de Rebus Ecclesiæ facere Prælati possunt, per text. c. Caterum. 3. de Donat. & ibi DD. Imò ab istis etiam annulos, torques, & vasa argentea atque aurea, vel etiam prædium aliquod, ut bene meritis dentur, pecuniâ aliquando comparari cum Navarro De Reddit. Eccles. monito. 47. & Laiman. Tract. De Rev. Eccles. Alienat. cap. 3. n. 43. docet Pirrhing Method. Jur. Canon. lib. 3. Tit. 13. n. 18.

Dubium hîc est de Pecuniâ: quam, etiamsi in magna quantitate sit, Mobilibus, quæ servando servari non possunt, accensent; & propterea liberè expendi à Rerum Ecclesiasticarum Administratoribus posse censent Sylvester V. Alienatio,

quest. 8. n. 7. Molina l. cit. & Riccius p. 1. cit. Decis. 50. n. 3. quòd inventa sit ad Commutationes faciendas, emendùmque; & non detur, aut accipiatur, ut conservetur: sed ut in aliud, scilicet, usus quotidianos consumatur: & reposita non fructificet, sed maneat otiosa secundùm can. Eyciens dist. 88. & receptam doctrinam S. Thomæ 2. 2. quæst. 78. art. 1. ad 6. & Cajetani Comment. in 2. 2. princip.

28 Verùm, etsi cit. Doctoribus, id sentientibus de pecunijs, quæ ex Locationum mercedibus, aliisque redditibus, ex fructibus venditis &c. percipiuntur, facile consentiant: eam tamen, quæ ad Prædij, Domorum, Censuum, aliarumque rerum Immobilium, aut Mobilium Pretiosarum Emptionem destinata, vel ad futuras Ecclesiæ, vel Monasterij necessitates in arca reposita est, liberè expendi posse negant Azor cit. q. 1. Quaranta n. 25. & alij apud Barbosam Allegat. cit. n. 40. quòd hujusmodi pecunia ratione Destinationis censenda sit inter Immobilia, aut Mobilia Pretiosa, quæ ipsi debent subrogari.

29 Sed de hac etiam id non universaliter verum; & cum cit. Palao n. 5. Donato quæst. 52. & Vasquez de Redditibus cap. 6. §. 2. n. 44. distinguendum existimo, inter pecuniam, quæ ad hunc finem donata, aut à Testatore est relicta, vel ex Immobili vendita, pro alia ejusmodi, aut Mobili Pretiosa emenda, comparata, vel Monasterio data est, ut ex ejus censibus sustentetur v. g. Monialis: & inter eam, quæ ad Immobilium emptionem simpliciter, & sine voto, aut juramento destinata est à Prælato vel ejus Antecessore: & priorem quidem Immobilibus aut Mobilibus Pretiosis, ac proinde sine Canonica Solennitate alienari prohibitis, accensendam; non item posteriorem; quòd huic Destinatio illa omninò accidentaria sit, & pecuniæ conditionem mutare non videatur.

30 His cit. Barbosa n. 43. addit, & à Rota decisum ait, liberè alienari à Prælato non posse magnam quantitatem pecuniæ, quæ in Ecclesiæ non tantùm fructu, sed Thesau-

ro esset, & ad futuras necessitates, vel conservandum Eccle-
siaz Patrimonium, asseruaretur.

ARTICULUS IV.

*De Rebus, quarum libera Alienatio iisdem Jure
est permissa.*

SUMMARIUM.

1. Alienari liberè possunt Mo-
bilia non Pretiosa,
2. De Jure Imperiali & Ecclesia-
stico,
3. Prohibitionis Generalitatem
ad Immobilia, & Pretiosa re-
stringente,
4. Et istorum etiam, si exigui va-
loris sint, Alienationem per-
mittente,
5. Juxta communem intelle-
ctum can. Terrulas. 12. q. 2.
6. Cum can. sine exceptione q.
cit. non satis conspirantem.
7. Nova prioris expositio:
8. Cui tamen adversatur Aucto-
ritas & Praxis.
9. Qua cum illo, aliter intelle-
cto, conciliatur.
10. Qua res Exigua? Varij sen-
sus DD.
11. Nos arbitrio Judicis relin-
quimus:
12. Textu can. Si quis q. 2. cit.
13. Et Romana Curia Stylo non
obstante.
14. Quae Exiguarum, etiam Inu-
tilium, ratio est:
15. Imò etiam aliarum in casu
maxima necessitatis:
16. Et earum, quae de Jure ne-
queunt retineri:
17. Trium etiam Casuum Extra-
vag. Ambitiosæ.
18. Quibus juramentum de non
alienando obstare,
19. Et latè interpretandum ali-
qui volunt.
20. Melius alij hoc ad aliena-
tiones Jure illicitas restrin-
gunt,
21. Ejus strictam interpretatio-
nem lata praeferentes,
22. Et Libertati faventes,
23. Sine præjudicio Religionis.
24. Expositio c. Veritatis 14. de
Jurejurando. Decla-

DEclarata hactenus Regula, de prohibita Rerum Ecclesiasticarum Alienatione, varias, & plerasque notatu dignas patitur exceptiones; ab ea enim

Excipiuntur primò, & liberè, hoc est, sine Canonica Sollenitate, alienari à Prælatiſ possunt Res illarum Mobiles non Pretiosæ, & quæcunque servando non possunt servari: cujusmodi ferè sunt frumentum, vinum, oleum, vestes pleræque, & cætera, quæ usu absumentur, vel brevi tempore veterascunt, Hostiens. in *Summa de Rebus Eccles. alien. n. 2.* & Panormit. in *c. Nulli 5. eodem Tit. n. 8.* & alij DD. id desumentes ex LL. Imperialibus, & Sanctionibus Ecclesiasticis Rerum ad Ecclesias, Monasteria, aliâque Pia & Religiosa loca pertinentium Alienationem prohibentibus, & exprimentibus solas res Immobiles & Mobiles Pretiosas *l. Jubemus 14. C. de SS. Eccles. c. Nulli eit. ibi. Nulli liceat alienare Rem Immobilem Ecclesie, sive agrum, & c. Extravag. Ambitiose inter Commun. de Reb. Eccles. alien. ibi. Immobilia & Pretiosa Mobilia Deo dicata:* quibus consonat. *Decretum Congreg. Cardinal. Interpp. art. 3. n. 12. cit.* Vnde non obscurè colligitur, liberè alienari permiffa Mobilia, quæ Pretiosa non sunt: cùm, quod non reperitur prohibitum, regulariter intelligatur, & censeatur permiffum. *l. Nec non 28. §. 2. ff. Ex quibus caus. major. & l. Ab ea parte 5. ff. De Probat.*

Neque obstant *c. Irrita. l. c. Cùm nos 3. De iis, quæ à Prælatiſ: c. Qui Res. 2. de Reb. Eccles. alien.* quibus Rerum Ecclesiasticarum alienatio prohibetur generaliter, & inter Immobiles & Mobiles &c. non distinguendo. Non, inquam, obstant; quia textus isti interpretationem accipiunt ab alijs: quorum plerique Ecclesiarum vel Monasteriorum Villas, Prædia, Terras, Decimas, Possessiones ex quibus decimationes & annui redditus proveniunt, Mancipia præsertim Rustica, Res & Bona, quæ in Feudum & Emphyteusim concedi possunt &c. prohibent alienari, *c. Continebatur. 2. c. Cum Apostolica. 7. De ijs, quæ à Prælatiſ. c. 1. cum seqq. plerisque de Reb. Eccles. alien. Imò l. Iube-*

MMS:

mus c. Nulli. Extravag. Ambitiosa c. &c. generaliter quidem, sed exprefsè vetant Alienationem Immobilium, & Mobilium Pretiosorum, quæ fervando fervari possunt, minimè obscuro argumento, Mobilia non Pretiosa alienari permiffa; quia exprefsà, & assumptâ unâ specie ex oppositis, altera cenfetur exclufa arg. l. Si inter. ff. de Except. Rei Jud.

Excipiuntur secundò Res etiam Immobiles exigui valoris, quas ex iusta, v. g. necessitatis, causa sine Solennitatibus alienari à Prælatiſ possè Redoani De Reb. Eccles. non alien. Rubrica 12. n. 5. Steph. Gratiani Discept. Forens. tom. 3. quæst. 452. à n. 2. Quarantæ in summa Bullar. V. Alienatio. Rer. Eccles. n. 4. aliorumque D. D. communis est sensus: & suadetur textu can. Terrulas. 12. q. 2. Terrularum, Vineolarum exiguarum, & Ecclesie parùm utilium distractionem Episcopis, sine consilio Fratrum hoc est Capituli; ac proinde sine Solennitate, & c. Cateorum, 3. De Donat. Abbatibus permittente donationem rei modicæ, quamvis aliàs eis donatio absolutè sit interdicta c. 1. & c. Cum Apostolica. §. Ne quis. Neque parùm id confirmat auctoritas S. Congreg. Cardinal. Trident. Interpp. à qua canonis Terrulas cit. ejusmodi rerum Alienationem Episcopo, sine Fratrum, sive Capituli consensu, inò consilio, permittentis, Dispositioni, neque Pauli II. Constitutione sive Extravag. cit. neque memorati Concilij Decreto sess. 25. cap. 11. de Reformat. derogatum; ac proinde consensum Apostolicum ad eam non exigi die 11. Junij 1596. declaratum, cum cit. Quaranta testantur Barbosa De Officio & Potest. Episc. alleg. 95. n. 5. & Fagnanus in c. Nulli cit. n. 25.

Contra ad illarum etiam Alienationem Solennitates exigi cum Rebuffo Compend. Alien. Rer. Eccles. n. 60. defendit Duarenus lib. 7 De Sacris Eccles. cap. 9. Moventur primò can. Sine exceptione. 12. q. 2. & can. 1. causa 17. q. 4. quorum textuum posteriore Episcopi &c. prædium Ecclesie, sicut magnum, ita etiam exiguum: utroque autem de rebus, vel jure Ecclesie

quic-

quicquam alienare prohibentur : ubi dictione, *Quicquam* Res tam parva, quàm magna comprehendi videtur ; *Quicquam* enim idem significat, quod *aliquid*, Tiraquell. in *l. Si unquam*, C. de Revocand. Donat. V. Omnia n. 5. quæ dictio etiam rem modicam, imò minimam comprehendit secundum Gloss. in *Clement. Unic. V. Aut earum parte de Foro compet. & Extravag. unic. §. fin. V. Etsi quisquam, Ne sede Vacante* Tiraquell. *l. cit.* & Bartol. in *l. Si servum §. Prator ff. De Acquir. Hered. not. 2.* Secundò paritate cum Minori : cujus jure, gaudet Ecclesiæ c. 1. c. *Auditis. 3. De in integ. restit. & prædium*, etiam inutile & sterile, alienari sine solennitate non potest, *l. Si fundus. 13. princip. ff. de Reb. eorum, qui sub tutel. Bartol. in l. 2. C. de Agricol. & Censit. n. 3.* Tertiò, quòd ejusmodi Rerum exiguarum ab omni solennitate absoluta alienatio satis fundetur *can. Terrulas, &c. Caterum citt.* cum ex his posterior accipiendus sit de Mobilibus donari, si quantitas exigua sit, permissis, quantumvis aliàs eorum Donatio Prælati sit interdicta *c. Fraternitatem 2. De Donat. Gonzalez in, c. Ut super 8. De rebus Eccles. alien. n. 3. in fine.* Priore autem textu, non Recentioribus præscripta, sed Antiquioribus tantum Sanctionibus Ecclesiasticis requisita, & ab eodem in *c. 1. De ijs, quæ à Prælat. n. 6.* relata, hoc est, duorum vel trium Comprovincialium Episcoporum approbationis Solennitas est remissa, *Duarenus l. cit.*

Atque istius D. & Rebuffi, sententiam Juris rigore : Contrà aliorum DD. communiori sensu, S. Congregat. auctoritate, & Prælatorum, exigui valoris & Ecclesiæ parùm utiles res Immobiles, passim liberè alienantium, praxi spectatis, prius relata Redoani, ejusque sequaciù doctrinam censeo præferendam. Cui ut *can. 1. & can. Sine exceptione* in contrarium *cit.* non obstant, cum Panormit. in *c. Ut super cit. n. 15.* & Redoano Rubrica. 33. n. 17. dicendum est, dictione *quicquam*, & aliis, quæ eius sunt significationis, *minima*, imò etiam *modica*, extra materiam peccati, regulariter non comprehendi juxta illud *de modicis & minimis*

minimis non curat Prator l. Scio. ff. De in integ. restit.

Sed, inquires, quænam pro modicis & exigui momenti rebus sunt habendæ? Quæ de re magna dissensio est inter DD. nam Staphylus *De litt. Gratia. n. 1. & 2.* & Palao *Tract. 12. Disp. Unica. p. 15. §. 1. n. 2.* pro talibus de jure habendas existimant, quæ non attingunt Valorem aureorum 100. & non ferunt annum censum 5. aureis majorem: idque Curia Archiepiscopalis Salernitanæ praxi ita observatum, testis est Zerola *Prax. Episcop. V. Alienatio. §. ad Sextum.* Fran. Leo *Thesaur. Fori Eccles. p. 4. cap. 1. n. 73.* quæ 25. ducatorum auri de Camera valorem non excedunt. Glossa. *incan. Terrulas cit. V. Exiguas*, tales fortè vocari ait, quæ non valent ultra 20. Solidos, sive totidem nummos aureos, juxta dispositionem Concilij Agathensis *relati can. Si quos, ibi, quod tamen jubemus viginti Solidorum numerum & modum in Terrula, vel Vineola, vel Hospitiolo tenere. q. cit.* Quam Glossæ sententiam, cùm in Curia etiam Romana, quæ cæterarum Mater & Magistra est, usu recepta sit, in omnibus observandam docent Pyrrh. Corradus *Prax. Dispens. Apostol. lib. 9. cap. 1. n. 45.* & Donatus *Prax. Regul. Tom. 1. p. 2. Tract. 14. quest. 37. n. 3.*

Sed præ istis placet doctrina Quarantæ *V. Alienatio n. 41. Riccij Prax. Episcop. Decis. 39. n. 8.* Barbolæ *De Off. & Potest. Episc. Alleg. 95. n. 5 l.* & aliorum, quæ res modica & exigua sit, relinquentium prudentiæ & arbitrio Judicis, ex ratione, quòd *can. Terrulas cit.* & alibi, quæ talis sit, non definiatur, ut non obscure insinuat Glossa *cit.* eas, quæ 20. Solidos non excedunt, exiguas dicens, dictione fortè significante dubitationem; ac proinde rem non determinante secundum Gloss. *in l. Si duo 34. V. Fortasse. ff. De Recept. arbitr. & in l. In substitutione 31. V. Fortè. ff. De vulgari & pupill. substit.* Ea autem, quæ lege definita non reperiuntur, arbitrio Judicis relinquuntur *l. 1. §. fin. ff. de Jure delib. Decius in c. Sedes de Rescript. n. 2.*

Neque, ut Donatus existimat, *can. Si quos cit.* hac in re ali-

E

quid

quid est definitum; quia eo agitur de Manumissione servi bene-
meriti: cui ultra 20. Solidos in pecunia numerata, vel Terru-
lam hos valore non superantem, non dandum, à memorato
Concilio statutum satis patet ex textu, & ibi notat Turrecre-
mata n. 1.

13 Neque aliud suadet praxis Curia Romanæ; etsi enim ad
eam, pro licentia alienandi res, 20. Solidorum valorem non
excedentes, frequenter recurratur à Prælatis territorij Ponti-
ficij, & Provinciarum vicinarum; ad eam tamen, pro non
majoris æstimationis rebus alienandis, recurri ordinariè non
solet ex remotioribus, & Septentrionalibus provincijs, in qui-
bus proinde, quæ res modica sit, relinquendum est arbitrio Ju-
dicis, facultates Ecclesiæ, locorum, temporumque circumstan-
tias, & Consuetudinem ponderantis, ita, ut alicubi, quæ 20.
alibi, quæ 30. aut 50. alibi, quæ 100. aureis æstimatur, modica
& exigua censi possit. Barbosa. cit. n. 51. & Riccius cit. n. 8.
in fine.

14 Excipiuntur tertio Res Ecclesiæ inutiles, & multò ma-
gis damnosæ, ut sunt servi fugitivi. *can. Fugitivi. 12. q. 2. & c.*
Injustum 4. de Rer. Permut. domus intra urbes, quæ magnos &
sæpe majores sumptus exigunt, quàm afferant fructus *can. Non*
liceat, q. cit. uti etiam aliæ Res immobiles, & possessiones Eccle-
siæ minùs utiles, quæ pro alijs utilioribus comparandis alienari
vel permutari cum Consilio, & Consensu Capituli à Prælatis
possunt, non obstante juramento de consensu Apostolico in A-
liationibus requirendo per *text. c. Ut super 8. §. Possessiones de*
Reb. Eccles. alien. quòd talibus casibus extra dubium sit, rem
Ecclesiæ fore meliorem, Barbosa *in §. cit. n. 6.* & ante eum Pa-
normit. n. 15. ubi §. *cit.* dispositionem, de Immobilebus non
magni valoris, ait, intelligendam.

15 Excipiuntur quarto casus maximæ necessitatis, urgentis
& exigentis talem celeritatem, ut summi Pontificis, vel alterius
Superioris consensus requiri, & expectari, sine gravi Ecclesiæ
præ-

præjudicio vel damno, non possit, Panormit. *in c. fin. De Eccles. adif. n. 8.* & Quaranta *V. cit. n. 42.* quia necessitas, præsertim maxima, recessum à Jure frequenter permittit: & facit licitum, quod alias de Jure licitum non est, *c. Quanto 4. de Consuet. & Reg. 4. de R. 1.*

Excipiuntur quintò Bona, quæ ab Ecclesia vel Monasterio non possunt retineri v. g. Immobilia, aut Mobilia Pretiosa FF. Minoribus, & Capucinis S. Francisci sub modo licito legata; hæc enim sine Canonicis Solennitatibus distrahi, eorumque pretium in fabricæ, aliàsque Fratrum necessitates, & usus converti posse cit. Quarantæ *n. 41. V. Sextò Ricij Decis. 56. n. 1.* Barbozæ *Alleg. cit. n. 59.* & Fagnani *in c. Nulli cit. n. 28.* doctrina, & ratio est; quia ejusmodi Rerum Alienatio est necessaria ex necessitate Status, sive Regulæ *c. Exijt §. Adhæc, quia Fratribus ipsis de V. S. in 6.* & propterea Ecclesijs vel Monasterijs non sunt incorporata *Clement. Exivi. eodem Tit. Ad cujusmodi bonorum distractionem Solennitates non exigi p. 3. art. 2. n. 5.* dicitur.

Excipiuntur sextò tres Casus Alienationis sine consensu Apostolico permissæ *Extravag. Ambitiosa cit. p. 2. art. 7. n. 3.* referendi: De quibus, & alijs hæctenus relatis Alienationibus,

Dubium, controversumque est, an licitæ etiam sint Prælato, ad Ecclesiæ vel Monasterij, aut Mensæ suæ bona, inconsulto Papa, non alienanda obstricto proprio Juramento? Hoc etiam ad illas extendi; ac proinde eas hujusmodi Prælato sine prædicto consensu illicitas defendit Azor. *P. 2. Instit. lib. 9. cap. 1. q. 9.* & non obscure sentiunt Navarrus *De Alienat. rer. Eccles. n. 14* & Molina *Traçt. 2. de J. & J. disput. 468. n. 8.* eâ moti ratione; quòd Juramentum illud ad relatas Alienationes extendi possit ex voluntate Prælati jurantis, ut ita consultius, cautiùsque, & cum minori Ecclesiæ lædendæ periculo suscipiantur: & si ad solas Alienationes, absque Canonica Solennitate prohibitas; non etiam ad alias sine ista Jure antiquo permissas, ex-

tenderetur, non appareat, quem habeat effectum, aut utilitatem.

19 Accedit, quòd Juramentum latam interpretationem admittere, & exigere videatur, ita, ut ejus obligatio extendatur ad omnia, quæ verba, in amplo & proprio sensu accepta, comprehendunt *arg. c. Veritatis 14. de jurejurando* ex cujus dispositione juramentum Fidelitatis Prælato præstitum extenditur ad istius Successores: quæ lata interpretatio est, & in Juramento locum habet, hoc ipso, quòd pertineat ad favorem Religionis: pro quo sicut faciens ratio summa per text. *l. Sunt Personæ 41. ff. de Relig. & Sumpt. fun.* ita alijs præferenda est interpretatio ampla, ut jurans à Perjurii periculo magis removeatur, ut nonnulli exigunt apud Suarez *de Juramento lib. 2. cap. 32. n. 8.* Ita Azor, & ejus sequaces.

20 Sed meliùs dictas Alienationes etiam hujusmodi Prælato, inconsulto Papa, fere permissas cum *cit. Redoano Rubrica 33. casu 1. n. 10.* tradunt Riccius *cit. Decis. 39. n. 1.* & Donatus *Tract. cit. quest. 36. n. 3.* Ratio est; quòd secundum Panormit. *in r. fin. cit. n. 3.* & ipsum Azor *cit. cap. 1. quest. ult.* Juramentum de non alienando, simpliciter præstitum, de Jure illicita, & non permissa Alienatione velint accipiendum: & secundum ipsum, qui ad residentiam in Ecclesia sua juramento se adstringit, nihilominus ex necessitatis, utilitatis vel alia jure approbata causa ad tempus possit abesse; quia juramentum, factum in materia Juris, ad istius terminos est restringendum, & secundum Juris dispositionem intelligendum, ut colligitur ex *c. Ad nostram 21. & c. penult. de jurejurando*: & ratio est; quòd jurans, qui aliud non expressit, Juris dispositioni se conformasse præsumatur, Alciatus *de Præsumpt. Reg. 4. Præsumpt. 32.*

Quare Juramentum de non alienando sine consensu Apostolico, de casibus, quibus ejusmodi consensus à Jure exigitur, intelligendum erit, in contrarium allata ratione non obstante; partim quia, etiamsi ad illos casus non extendatur, effectum

effectu & utilitate non caret; cum Prælatum ad alienationem Juri conformandam reddat firmiorem, & remotiorem à periculo damni Ecclesiæ suæ inferendi: partim verò, quia, ²¹ licèt ad relatos, & Jure permissos casus extendi intentione jurantis possit, in dubio tamen extensum non censetur; cum strictè, & in dubio, in partem mitiorem, & juranti favorabilem sit interpretandum, ut cum Archidiacono *in can. Ne quis* 22. q. 2. Panormit. *in c. penult. cit. n. 2. & c. Ut super 8. de Rebus Eccles. alien. n. 15.* Sylvestro V. *Juramentum 3. quest. 3.* & ceteris alicujus nominis Interpp. ac DD. plerisque docent *cit. Suarez n. 2. Sanchez lib. 3. Moral. cap. 17. n. 20. & Laiman lib. 4. Tract. 3. cap. 9. n. 1.* id desumentes ex Rescripto Gregorij IX. Clericum, Vi juramenti de servandis Ecclesiæ suæ statutis præstiti, ad observanda, quæ postea primùm edita sunt, obligatum, & istorum transgressione Juramenti violati reum negantis *c. penult. cit. & c. 1. eodem Tit. in 6.* Ratio est; quòd, cum ²² homo à natura præditus sit libertate, eum ad aliquid determinatè faciendum vel omittendum adstringi, odiosum sit & grave: & propterea, ubi de Obligatione agitur, stricta interpretatio sit facienda: ut de Obligatione Promissionis & Stipulationis ex l. *Quidquid 99. princip. ff. de Verb. Oblig.* de Juramento autem, partim ex *c. Ad nostram 21. cit. ibi, Nos juramentum tuum benignè interpretari volentes*, partim ex 15. & generali regula *in 6.* constat.

Neque aliud postulat favor Religionis considerandus in ²³ Juramento; quia hic solummodo exigit, ut factum conformetur dicto, quod juramento est confirmatum: non etiam, ut istius verba accipiantur latè, eoque inducta Obligatio ad plura &, quàm potest, multa extendatur; cum Juramenti, quò interpretatio benignior est, eò facilior & expeditior sit observantia, & remotius periculum perjurii: quòd solum Religio, & in testimonium invocati Numinis reverentia exposcit, ut cum *cit. Suarez n. 9.* advertit Pirrhing *Method. Juris Canon. lib. 2. Tit. 24. n. 102.*

24 Neque obstat textus *c. Veritatis cit.* quia eo non fit extensio ultra proprium verborum sensum; cum enim, ex una, Juramentum Fidelitatis præstitum Prælato non sit sub nomine proprio, & quatenus est determinata hæc persona, sed sub nomine appellativo, & quatenus præditus est tali dignitate: ex altera verò parte cum persona Dignitas non extinguatur, sed eâ mortuâ permaneat, & transeat ad illius successorem per *text. c. Quoniam* 14. de Officio Delegat. mirum non est, quòd vi Juramenti Fidelitas debeatur etiam successori, quantumvis istius expressa mentio in illius formula facta non sit, Covarruvias in *c. Quamvis de Pactis* in 6. p. 1. §. & n. 5. V. Tertio. & aliis relatis in *c. Veritatis cit.* Barbosa n. 5. & Gonzalez n. 4.

ARTICULUS V.

De Administratione & Alienatione Capituli Sede Vacante.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|--|
| 1. Sede Vacante Administratio penes Capitulum est, | 9. Sed Immobilium & Pretiosorum, |
| 2. Quoad omnia non specialiter prohibita: | 10. Extra casum argenti Necessitatis: |
| 3. Tam Jure Antiquo & Novissimo, | 11. Neque eas ab Episcopali ad suam Mensam transferre, |
| 4. Quàm ratione spectatis. | 12. Neque in Judicium deducere potest Res, aut Jura Ecclesie vacantis. |
| 5. Rubr. Ne Sede Vacante, vim habet Edicti Prohibitorij. | 13. Sine consensu sui Episcopi, si ei subjecta: |
| 6. Expositio difficillimi <i>c. Illa</i> 2. eodem Tit. | 14. Vel Papa, si Exempta sit, vel Cathedralis. |
| 7. Vacante Sede Capitulo interdicta est Alienatio, | |
| 8. Rerum, non quarumcunque, | |

15. Nisi

15. Nisi casu Notoria Necesitas, 16. Vel Res Capituli sit, etiam quò-
ad Administrationem.

Sicut Prælati decedentis Potestatem, Sede vacante ad Capitulum transire satis certum, ita Dubium & Controversia inter DD. est, quæ, vi illius penes se residentis, Capitulum possit?

Et Glossa quidem in *Clement. 1. §. 1. V. Capitulum de Heret. Archidiacon. in can. Pontifices 7. q. 1. Panormit in Rubr. Ne Sede Vacante. Lambertinus de Jure Patronat. lib. & p. 1. quest. 2. art. 9. n. 2. Pirrhing Method. Jur. Canon. lib. 3. Tit. 9. n. 2. & alij statuunt Regulam Negativam, ita, ut Vacantis Sedis tempore Capitulo prohibita Generaliter sint, quæcunque ei specialiter concessa non reperiuntur. Moventur primò Generalitate Rubricæ, *Ne Sede, sive Prælaturâ, Vacante aliquid innovetur simpliciter prohibentis*; ut proinde à Capitulo circa ea, quæ Ecclesiam ejusque Prælaturam spectant, innovari sive mutari nihil debeat aut possit, nisi ipsi à Jure specialiter sit concessum. Secundò text. *c. 1. ibi, Attendentes, quòd, sede vacante, non debet aliquid innovari, cum non sit, qui Episcopale jus tueatur, & c. Illa 2. eodem Tit. quo Beneficia, ad Collationem Episcopi pertinentia, à Capitulo conferri posse, negatur, ex ratione; Quòd nusquam inveniatur cautum in Jure, quòd Capitulum Vacante Sede fungatur vice Episcopi in Collationibus Beneficiorum.* Tertiò, quòd Capituli potestatem, dum illa vacat, Generalem esse, Ecclesiæ non fuerit necessarium; cum, si in ijs, quæ à Jure specialiter indulta non sunt, aliquid innovari expediat, ad Sedem Apostolicam recurri, ab eaque agendi licentia impetrari possit juxta *c. Unic. de Cler. egrot. in 6.* neque etiam utile; cum Administrationis concessio Generalis Capitulo ansam præbeat, Electionem novi Prælati, protelandi, cum damno Ecclesiæ & periculo animarum *c. Ne pro defectu 41. de Electione.**

Contrà Barbosa in *c. Illa cit. n. 3.* Fagnanus *ibid n. 6. & Diana*

Diana P. 8. Tract. 4. Resol. 1. cum Navarro de Elect. Consil. 44. n. 1. Franc. de Pavinis de Off. & Potest. Capit. & c. p. 1. principio quest. 1. n. 3. Guttierrez 22. Canon. lib. 1. cap. 11. n. 10. Molina Tract. 5. de J. & J. Diss. 11. n. 3. & alijs, Sede Vacante, Capitulo in exercitio Jurisdictionis Ordinariæ, & Rerum tam Spiritualium quàm Temporalium administratione permiffa volunt, quæcunque ei specialiter prohibita non reperiuntur.

³ Eam autem regulæ Generalitatem desumunt ex c. His que II. c. Cum olim 14. De Majorit. & Obed. & c. 1. eodem Tit. in 6. Ex quorum textuum, præsertim prioris, dispositione, Capitulum in ijs, quæ Præfato competunt, succedit, præter quædam Jure specialiter excepta: & ex c. Si Episcopus 3. & c. Fin. De supplenda neglig. in 6. ubi Sede Episcopali propter Episcopi Captivitatem fictè, & per mortem ejus verè Vacante, Administratio in Spiritualibus, & Temporalibus Capitulo clarè adstruitur, nisi Ecclesiæ à Sede Apostolica aliter provideatur. Idem clarè supponit S. Synodus Tridentina sess. 24. cap. 16. de Reformat. ex cujus Dispositione, Sede Vacante, Capitulum decernere debet Oeconomum, qui temporalia: uti etiam Officiale, seu Vicarium Generalem constituere, vel existentem confirmare: qui spiritualia, nomine Capituli, sicut Sede Plena nomine Episcopi, ac proinde Generaliter, & quoad omnia Mandatum speciale non requirentia, administret.

⁴ Id ipsum suadet ratio; quia Regula, sive Universalis propositio sumenda est ex pluribus: multò autem plura de Episcopi ordinariæ potestate, dum Sedes vacat, Capitulum potest, quàm ei prohibita reperiuntur. Accedit; quòd Generalis ejus Administratio expediat Ecclesiæ; ne dum vacat ipsa in rebus suis, & animæ etiam patiantur detrimentum, ut rectè advertit Pavinus l. cit. n. 3.

Neque periculum est, ne ex Potestatis sibi competentis amplitudine Capitulum ansam accipiat, Prælati Electionem protelandi; cum à Jure ipsi præfixum sit trium ad Ecclesiam Cathedrali-

thedrali-

thedralem vel Regularem, ad Secularem autem Episcopali inferiori sex mensium tempus: ultra quod, si Prælati Electionem, cessante justo impedimento, differat, eligendi potestate, ad Superiorem devolutâ, pro ea vice privatur per text. *can. Obstantibus* 35. *Dist. 63. c. Ne pro defectu cit. & c. Nulla. 2. De Concess. Prab.*

Neque obstat *Rubrica* in contrarium alleg. quia habet se instar Edicti Prohibitorij: quo quæcunque, ac proinde quæcunque *cit. Rubrica* subjectis, aut alijs text. expressa aut prohibita non reperiuntur, permessa censentur per text. *c. Cum apud* 23. *De sponsal. & l. Mutus* 43. §. 1. ff. *de Procurat.* *Gloss. ibi. V. Edictum: Hostiens. in Summa eodem Tit. n. 8.*

Haud paulò difficilior est *c. Illa cit.* textus. Satis tamen expeditæ, & in Jure etiam fundatæ sunt duæ ejus Expositiones. Vna Fagnani *l. cit. n. 6.* ex eo desumptam Regulam restringentis ad Provisionem Beneficiorum, in qualibet Diœcesi soli Episcopo de Jure competentem *can. Nullus omnino* 16. *q. 7. c. Admonet* 4. *De Renuntiat. c. Ex frequentibus* 3. *De Instit. & c. Cum ex injuncto* 12. §. *fin. De Heret.* *ibi, Ad cuius, Episcopi, Officium tam Institutio, quàm Destitutio Sacerdotum noscitur pertinere.* Vnde, cum Beneficiorum collationem, Sede Vacante, Capitulo competere nuspiam cautum in Jure reperiatur, hæc ipsi meritò negatur. Altera aliorum, eandem Regulam restringentium ad Episcopatus vacantis Jura & Fructus, qui ex speciali Dispositione Juris custodiri, & servari debent successori *can. Hac hujus.* 12. *q. 2. & c. Cum Vos* 4. *De Officio Ordin.* ac proinde, si servando servari possunt, alienari, Sede Vacante generaliter prohibentur: à qua prohibitione, respectu Jurium & Fructuum quidem generali, sed exceptione à Regula, Episcopatus Vacantis Administrationem Capitulo multò generalius concedente; cum Collatio Beneficiorum, quæ inter Episcopalis dignitatis Fructus numeratur, *Gloss. in c. Cum olim cit. V. Capitulo* excepta nuspiam reperiatur, Capitulo meritò negatur,

tur, quantumvis aliàs generalis, & in Jure fundata sit Regula; Capitulo ea, quæ Potestatis Episcopalis ordinariæ sunt, & ipsa specialiter prohibita non reperiuntur, permittens.

- 7 Quantumvis autem etiam in Temporalibus Capitulo de Jure competat Administratio generalis; toto tamen Vacantis Sedis tempore Ecclesiæ Res sive Bona nequit alienare *can. Si qua de rebus. 12. q. 2.* sed ea custodire & conservare debet Successori *can. cit. can. Hac hujus cit. c. Quia sæpe 40. de Elect. in 6. & Clement. Statutum. 7. eodem Tit.* Ea tamen in re opus est Distinctione inter Bona, quæ servando possunt servari, & ea, quæ tempore sunt interitura. Ex quibus ista, sive, quæ servando servari non possunt, à Capitulo, vel Oeconomio ab eo constituto alienari, etiam Superioris Auctoritate non interveniente, permittuntur, sicut à Tutoribus distrahi ejusmodi res pupillares, *l. Tutor. 7. §. 1. ff. De Auctor: Tutor. & l. Lex qua 22. in fine C. De Administ. Tut. & merito; cum si, Sedis Vacantis tempore, ejusmodi Res distrahi non permetterentur, Alienationis prohibitio, ob favorem Ecclesiæ introducta, in ejus dispendium rerorqueretur contra Regulam, Quod ob gratiam 61. in 6. Panormit. in c. 1. Ne Sede Vacante. n. 7. & Pirrhing. Method. Juris Canon. lib. 3. tit. 9. n. 2.*

- 9 Illa autem, & præsertim Bona Immobilia Ecclesiæ, & Mensæ Episcopalis, alienari à Capitulo sine Sedis Apostolicæ licentia non posse, satis clarè desumitur ex *c. 1. Ne Sede Vacante*, Vbi Ecclesiæ Cathedrali factæ unionis dissolutio post Episcopi obitum, Capitulo non permittitur, ex ratione; quòd, Episcopali Sede Vacante, non debeat aliquid innovari; cum Prælato, tanquam proprio ejus Defensore, defuncto, non sit, qui Episcopale Jus tueatur; cum enim Judicium, cujus exitus dubius, contra Ecclesiam Vacantem agitari non permittatur per *text. c. fin. eodem Tit. & paulo post dicenda*, multò magis prohibitam esse oportuit ejus Rerum Alienationem: quæ sonat in malam partem, & re ipsa videtur esse damnosa *Panormit. l. cit. & Vivianus in Ration. c. cit.*

Con.

9. Confirmantur ista; cum enim ipse Episcopus Ecclesie inferioris Vacantis Bona alienare non possit, nisi prius ei Curator, sive Administrator, vel alius legitimus Defensor deputetur per *text. c. 1. De Reb. Eccles. Alien. in 6.* multo minus Bona vacantis Episcopatus alienare valebit Capitulum, nisi prius illi deputetur Visitator sive Administrator: quem assignare de Jure solus Papa potest. *c. fin. De suppl. neglig. in 6. & c. Is cui. 42. De Elect. in 6.* Imò ex huius textus Dispositione, etiam ab isto, Episcopatu Vacanti datus Administrator, quantumvis non tantum Spiritualium sed Temporalium etiam plenam Administrationem obtineat; immobilia tamen ejus Bona nequit alienare. Quanto minus id poterit Capitulum: cujus minor, quam huiusmodi Administratoris, est Potestas, Panormit. *n. 7. cit. & Molina Tract. 5. de J. & J. Disput. 11. n. 15.*

10. Rectè tamen iste excipit casum urgentis valde magnæ Necessitatis, ita, ut neque Alienatio differri ad futurum Successorem, neque pro alienandi licentia ad Sedem Apostolicam possit recurri; tum enim præmissis tractatu, & cognitâ causâ Alienatio ei permessa esset juxta dicta Art. 4. n. 15.

11. Multo minus, quam in alios alienare, Bona ad Mensam Episcopalem spectantia transferre, absque Sedis Apostolicæ auctoritate, potest ad suam sive Capitularem: idque non solum; quòd Vacans Prælatura seu Dignitas Episcopalis careat legitimo Defensore: sed etiam; quòd Capitulum ita in proprio facto, sive in commodum & utilitatem propriam præstaret Auctoritatem contra *text. l. Pupillus 5. princip. ff. De Auth. Tutor. c. fin. de Institut. & præsertim Clement. 2. junctâ Glossâ V. Mensa de Reb. Eccles. alien. Interpp. ibi* aliosque & passim obuios DD.

12. Neque alienare duntaxat, sed Judicium etiam sive litem super Ecclesie Bonis, & Juribus inchoare, aut à Prælato defuncto ante obitum inchoatam, sive agendo sive respondendo, prosequi, Sede vacante, Capitulum non potest per *text. c. fin. Ne Sede vacant.* ubi ab Honorio III. tanquam nullæ, reprobantur

depositiones testium, vacante & legitimo Defensore carente Ecclesia, recepta. Ratio est; quia ex una parte Ecclesia fungitur vice, & gaudet Jure Minoris *c. 1. & c. Auditis. 3. De in Integ. Restit.* ex altera verò Judicium, & sententia contra Minorem, Tutore & Curatore carentem, atque indefensum, lata non tenet. *l. Acta 45. § fin. & l. Contra 54. ff. De Re judicata.* Unde, ut Judicium, & contra Ecclesiam vacantem lata Sententia teneat, Visitatorem vel Administratorem ad effectum agendi à Papa datum habere debet *arg. c. Is cui cit. Panormit. inc. fin. cit. n. 5. Hieron. Gigas De Pension. quest. 65. n. 5. & Barboza inc. fin. cit. n. 3.*

13 Hac tamen etiam in re opus est duplici Distinctione: Vnâ inter ipsas Ecclesias; si enim ista Cathedrali inferior, & Episcopo subjecta est, ejus vacantis Capitulum seu Conventus, interveniente Authoritate Episcopali, tanquam Superioris & Prælati sui Immediati, suæ Ecclesiæ vel Monasterij Jura agendo & respondendo, tueri in Judicio potest; præsertim si id exigat aliqua Necessitas, aut Vacatio diu esset duratura. Si autem Ecclesia Collegiata vel Conventualis non sit, ejus præsertim diutius vacantis Res & Jura tueri Episcopus potest *Panormit. c. n. 4. & Laiman De Rer. Eccles. Alienat. cap. 3. n. 49.*

14 Si verò Ecclesia Cathedralis, aut istâ quidem inferior, sed tamen Exempta & Sedi Apostolicæ immediatè subjecta est, locus est alteri Distinctioni in Bona & Jura, de quibus orta est controversia, exigens cognitionem definitionemque Judiciale; si enim ista Prælaturæ propria, vel ipsi, & Capitulo communia sint, Capitulum vel Conventus super ijs Actionem, aut Defensionem Judiciale suscipere non potest per text. & rationem supra allatam.

15 Excipiendus tamen hîc est casus magnæ & Notoriæ Necessitatis; cùm enim, hâc urgente, Ecclesiæ vel Monasterij Res Immobilem valeat alienare, multò magis pro ea agere vel respondere in judicio potest, *Glossa in c. Edoceri V. Debeant de Rescript.*

script. Si verò Bona propria ipsius Capituli à Prælatuꝝ Bonis diuisa, & quoad Administrationem etiam separata sint, super ijs convenire, & conveniri in iudicio, Vacante, imo etiam Plena Sede, Capitulum per Procuratorem vel Syndicum potest, iuxta supra tradita *art. 2. n. 15. Pirrhing Method. Jur. Canon. lib. 3. Tit. 9. n. 8. in fine.*

ARTICULUS VI.

De Dominio & Administratione Redituum Beneficialium.

SUMMARIUM.

1. Fundorum Beneficialium Dominium penes Ecclesias est.
2. Fructuum Administrationem Clericis:
3. Dominium autem Ecclesijs, aut Christo multi DD. tribuunt;
4. Quòd Patrimonium Christi Res Pauperum &c.
5. Et ipsos ad profana expendentes, Fures, Sacrilegi &c. dicantur:
6. De iisque Clerici prohibeantur testari.
7. Opinio Navarri de Distributionibus quotidianis,
8. Et aliorum Clerico diviti sustentationem negantium ex fructibus Beneficiorum.
9. Distinctio inter 4. Ecclesie Tempora;
10. Et triplicis generis Bona Clericalia:
11. Ex quibus Patrimonialium Domini, Clerici,
12. De solis Beneficialibus licite vivunt.
13. Isdem competit Dominium quasi Patrimonialium,
14. Distributionum quotidianarum:
15. Et verius ipsorum etiam Redituum Beneficialium;
16. Decretis Concilij, & Apostolicis Constitutionibus,
17. Primava Titulorum Institutione,
18. Et ratione etiam spectatis.

19. *Sensus, quo Patrimonium Christi, Res pauperum &c.* &c. *vocantur.*
 20. *Et Clerici Fures, Sacrilegi* 21. *Ratio Clericis prohibita Testamenti-factionis.*

I Pfarum Villarum, Prædiorum, Fundorum, ex quibus Reditus Beneficiales proveniunt, & à particularibus Clericis percipiuntur, penes ipsas Ecclesias esse, patet ex dictis *art. 1. n. 6.* Vnde

2 Dubium hîc & controversia inter DD. maxima est, de ipsis redditibus Beneficialibus sive fructibus, qui ex ejusmodi Villis, Prædijs &c. à Clericis annuatim percipiuntur: quorum penes istos solummodo Administrationem & Dispensationem, ut ex illis sibi & familiæ, statui suo convenienti, ad sustentationem necessaria sumere, possint; superfluos erogare in pauperes, aut alijs pijs causis applicare, vel in Ecclesiæ utilitatem convertere teneantur: Dominium autem vel penes Christum, vel penes Ecclesias particulares, aut saltem Universalem esse, cum Gratiano *post can. Nulli. 27. §. Si ergo 12. q. 1.* Archidiacono in *summa Dist. 44. n. 5. in can. Si Episcopus. 12. q. 1. &c.* Navarro *De Eccles. Redit. q. 1. n. 17.* & VV. Canonistis permultis, ex RR. Marfilii *Tractatu eodem p. 3. cap. 34.* Moneta *De Distribut. quotid. p. 3. quest. 1. n. 14.* ex Theologis autem, defendunt Azor. *P. 1. Instit. lib. 7. cap. 8. V. Prima igitur & V. Quod attinet,* Comitulus *Respons. Moral. lib. 1. q. 70. & 71.* & ab his relati alij.

4 Moventur primò, quòd quidquid Clerici ex Bonis Ecclesiæ habent, Patrimonium Christi *c. Cum secundum 16 De Præb. & Dignit. Jus & Res Ecclesiæ can. Episcopi 12. q. 1. can. Similiter can. Quia juxta 16. q. 1. Patrimonium & Res Pauperum can. cit. & can. fin. q. 1. cit.* Esurientium panis, & egentium animarum Tributum. *can. Sicut hi, Dist. 47. & c. Tua nobis 26. De Decimis &c. vocetur.* Cùm ergo ejusdem rei Dominium penes duos simul esse non possit per text. *l. Si ut certo 5 §. 15. ff. Commodati,* Clerici Redituum Beneficialium Domini non erunt.

Secum-

Secundò, quia ejusmodi Reditus, sive Bona in profanos
 usus expendendo, Furtum, Rapinam, Sacrilegium committunt 5
can. 1. §. Quomodo etiam Dist. 42. can. fin. cit. can. Qui Christi.
12. q. 2. manifesto indicio Clericos ipsorum non Dominos l. 1.
§. fin. junctâ Glossa V. Rei. ff. De Furtis, sed Dispensatores tantum
esse & Administratores: quales etiam appellantur can. Quisquis
can. Expedi. can. Videntes & c. q. 2. cit. & c. Fraternalitatem 2. de
Donat.

Tertiò, quia de ejusmodi Bonis testari *c. 1. c. Cum in Offi-* 6
cij. 7. c. Quia nos. 9. & c. De Testament. & in vivis etiam omni-
no liberè, & ad quascunque causas disponere non possunt, per
Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. De Ref. Vbi ejusmodi Bona ad
profanos usus expendendo, aut Consanguineos non indigen-
tes de ipsis ditando, graviter peccare dicuntur: quod naturæ
Dominij & Regulæ. l. In re mandata. 21. C. Mandati cuilibet de
rebus suis liberè disponere permittenti, videtur repugnare.

Imò Navarrus *Tract. alleg. q. 1. monito 30. n. 2.* Clericis 7
 etiam Distributionum quotidianarum, & similium proventu-
 um, ratione Ministerij Ecclesiastici perceptorum, Dominium
 negat; quòd etiam tales, instar Redituum Beneficialium, per
 Ecclesiam istiusque intuitu acquirantur: Distributiones insu-
 per subrogentur fructibus, quos vocant Grossos, & ex S.
 Synodi Trident. PP. *Decreto in Ecclesijs, in quibus non erant,*
Præbendarum proventibus sint detrahendæ Sess. 21. c. 3. De
Ref. imò in his solis aliquando Præbenda consistat, ut exc. Olim
16. de V. S. colligitur: & cum Glossa in c. Unic. V. Receperit, De
Clericis non resid. in 6. notant Francus inc. cit. §. Quia verò n.
8. & inc. Olim cit. Barbola n. 4.

Non defuerunt etiam, & ab Archidiacono in *can. Cleri-* 8
cos 1. q. 2. n. 2. referuntur DD. qui Clericis, Patrimonio, ad
 congruam sustentationem sufficiente instructis, Beneficia non
 conferenda: & ista obtinentes, de illo, non istis vivere teneri
 existimârint propter text. *can. Clericos cit.* ubi relatus S. Hiero-
 nymus

nymus ad Damasum Papam, Clericos illos, inquit, convenit Ecclesia stipendijs sustentari, quibus parentum & propinquorum non suffragantur bona: qui autem bonis parentum, aut suis sustentari possunt, si quod pauperum est, hoc est, de Bonis Ecclesiasticis aliquid accipiunt, Sacrilegium profecto committunt &c. Consonant S. Prosper can. Pastor, & can. Si quis q. cit. & S. Augustinus ad Bonifacium Comitem Epist. 50. can. fin. 12. q. 1. relati.

9 Quis noster de ejusmodi, sive Beneficialium Bonorum Dominio sensus sit, ut clarius constet, operæ pretium erit, si distinguamus imprimis inter diversa tempora. Primum Ecclesiæ Nascentis, quo Christiani tam Laici, quàm Clerici Evangelicam Perfectionem fere, ut hodie Religiosi, sectantes, rerum suarum Dominio se abdicarunt: earumque venditarum pretia ad pedes Apostolorum, in suas & ceterorum Fidelium necessitates impendenda deponebant, ut refertur Actor. cap. 4. Alterum, quo Fidelium numero in dies & in immensum crescente, cum in communi vivere, & necessaria suppeditari omnibus commodè non possent, Laici bona propria ex Ecclesiæ voluntate retinebant: Clerici verò adhuc in communi vita persistentes, & nihil proprium habentes, ex prædiorum Ecclesijs donatorum proventibus, aliisque oblationibus, & eleemosynis sustentabantur secundum can. Expedi. & can. Videntes 12. q. 1. Tertium, quo, primævo fervore & Perfectionis studio remittente, Clerici sua Patrimonia & aliunde quæsitæ bona, ex Ecclesiæ permissione retinebant ita, ut ipsi viverent ex proprijs, ceteris autem Clericis perinde, ut Pauperibus Laicis, necessaria sustentatio, Sicut prius, ex Ecclesiæ proventibus ministraretur juxta can. Clericos 5. cum 2. seqq. 1. q. 2. can. Certè ego, can. Episcopi 12. q. 1. Quartum, quo institutis à Simplicio Papa Titulis Parochiarum, istarum Singulæ singulis Clericis attributæ, & Ecclesiarum bona quoad redditus seu proventus annuos distributa sunt in quatuor partes: quarum Vna Episcopo, altera Parochis, tertia Fabricæ, quarta denique peregrinis & pauperibus

peribus est deputata, secundum *can. Vobis §. Ex qua, can. Vul-*
terana, can. Quatuor, can. De redivibus 12. q. 2. Barbosa *Jur. Ec-*
clesiast. lib. 3. cap. 17. à n. 3. & Fagnanus in c. Si quis sanè De Pe-
cul. Cleric. à n. 15.

Deinde inter Clericorum modernorum Bona Patrimonialia: ¹⁰
 vel quasi: & Beneficialia. Patrimonialia hinc censentur,
 quæ Clericis aliunde, quàm ratione Beneficij vel Officij, aut
 Ministerij Ecclesiastici v. g. ex Hæreditate, Legato, Donatione,
 Contractu, Usucapione, labore vel industriâ obvenerunt.
 Quasi Patrimonialia verò, quæ ipsi, non quidem ratione Bene-
 ficij Ecclesiastici, ratione tamen Officij sive Exercitij, Ordinis,
 Jurisdictionis &c. tanquam præmium aut stipendium, acquisi-
 verunt v. g. cantando in choro, sacrificando, prædicando Sa-
 cramenta administrando, Vicarium aliquem Temporalem
 obeundo &c. Ad quæ pertinent funeralia, & ceteri reditus
 Stolæ, uti etiam Distributiones quotidianæ: & reduci possunt,
 quæ ex congrua, sibi que ex Beneficialibus proventibus debi-
 ta sustentatione, frugalius vivendo, comparserunt Navarrus *l.*
cit. Monito 19. Lessius lib. 2. de I. & I. cap. 4. n. 35. & Molina
Tract. 2. de I. & I. Disp. 142. à n. 1. Quibus præmissis:

Bonorum Patrimonialium Dominos Clericos esse; ac ¹¹
 proinde de ijs liberè ad quascunque causas, tam inter vivos
 quàm per ultimam voluntatem, disponere perinde, ut Laicos
 posse, hodie Catholicorum DD. nemo facilè ausit inficiari: &
 constat ex *can. Episcopi, cum seqq. 12. q. 1. can. Quicumque, ibid.*
q. 3. can. Fixum, ibid. q. 5. c. 1. & c. Quia nos cit. De Testament.
 Ratio est; quia Clericatus, vel Ordinis assumptione, Rerum
 suarum Dominio se non abdicant ipsi, neque privantur à Jure;
 cum proprium habere disertè permittantur *can. Certè ego cit.*

De reliquis Bonis, contra relatarum opinionum Asserto- ¹²
 res, primò Clericos, retento, aut in alios usus collato proprio
 Patrimonio, de Beneficiorum suorum fructibus vivere posse,
 cum Innocentio Canonum Interprete & Romano Pontifice

G

ejus

ejus nominis IV. in c. *Episcopus* 4. De *Præbend.* n. 1. ubi, *Non credimus*, inquit, quod, qui habet Beneficium, vivere debeat de Patrimonio, sed Altari: cum Felino in c. *Postulasti* 27. De *Rescript.* n. 2. Panormit. in *22. disput. q. 4. n. 12.* Navarro q. 1. cit. *Monito.* 32. & Covarruvia in c. 1. De *Testament.* n. 2. Doctrina est aliorum Canonistarum fere omnium. & TT. pro se allegantium D. Thomam. 2.2. *quest.* 185. *art.* 7. Quibus suffragatur Consuetudo Ecclesiarum Clericis, sicut pauperibus: ita divitibus Beneficia conferentium, & deputantium stipendia, ex quibus percipiunt sustentationem. Idem suadet ex Divinis oraculis deprompta ratio; quia decet, ut qui Altari deservit, de Altari vivat; *Cum nemo militet suis stipendijs unquam; Corinth.* 9. *Et dignus sit operarius mercede sua* 1. *Corinth.* 5. Similia habentur *can. Charitatem in fine* 12. q. 2. c. *Cum secundum cit. c. Extirpanda.* 30. De *præbend.* & præsertim *can. Clerici* 1. q. 2. ubi, cum decernitur, Clericos omnes, qui Ecclesie deserviunt, stipendia laboribus suis debita, secundum servitij sui meritum consequi debere, clarè indicatur, non solum Pauperibus, sed etiam Divitibus, laborum & meritorum potius, quam facultatum habita ratione, sustentationem ab Ecclesia præberi, ut *l. cit.* observat Panormit.

Neque aliud desumitur ex *Text.* in contrarium allegati, quia, vel loquuntur de portione Pauperibus designata, vel secundum statum Ecclesie primitivæ: quo Beneficiorum Tituli nondum erant constituti: & Ecclesiarum redditus, quod exiles essent, non Dignitatis aut Meritorum, sed solius necessitatis & indigentie ratione habita, parcius distribuebantur, *can. Dilectissimi*, *can. Quia tua*, *citt.* ut cum *citt.* Felino n. 6. & S. Thoma in 4. *Dist.* 38. *quest.* & *art.* 2. advertit Covarruvias in c. 1. *citt.* n. 3. & 4.

13. Secundò Clericos, quorum eunque Bonorum quasi Patrimonialium, ac proinde etiam reddituum Beneficialium, saltem quoad partem necessariam ad congruam sustentationem, imò

&

& Distributionum quotidianarum Dominos esse, cum S. Thom. cit. *quest. 185. art. 7.* Panormit. in *c. Cum esses De Testament. n. 26.* & Covarruvia in *c. Cum in Officijs 7. eodem Tit. n. 7.* communi sensu docent ceteri TT. & Canonistæ. Ratio est; quod hujusmodi bona accipiant tanquam Stipendium congruæ, hoc est, consideratâ tam dignitate, & statu, quàm laboribus & meritis, convenientis sustentationis *c. Cum secundum cit. sine ullo onere, ea ex toto, vel ex parte in pauperes, vel alios pios usus expendendi, non obscuro indicio Domini hujusmodi bonorum in eos translati: quod de Distributionibus indubitâtè desumitur ex c. Unico §. Qui verò. De Clerico non resid. in 6.* ubi Bonifacius VIII. *Qui verò, inquit, aliter, quàm si Divinis Officijs adfuerit, de Distributionibus ipsis quidquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesia utilitas excusaret) Rerum sic acceptarum Dominium non acquirat:* quibus verbis à præsentibus & ob aliquam ex dictis causis absentibus, Distributionum receptarum Dominium acquiri, apertè supponitur & insinuat, ut ibidem notant Geminian. *n. 3.* Francus *n. 8.* & alijs relatis Barbofa *n. 22.*

Neque obstat ratio objecta à Navarro, de Distributionibus aliter sentiente, quantumvis de ceteris Bonis quasi Patrimonialibus idem doceat *Monito 30. n. 7.* cum; quia Distributiones reverà non subrogantur fructibus Grossis, cum ab his planè sint diversæ; in casu enim *Decreti Reformat. Trident. cap. 3. cit.* Fructus in Distributiones converti potius, quàm has illis subrogari notat *cit. Moneta n. 23.* tum verò, quia etiam si fructibus Grossis subrogarentur, ac proinde Præbendæ rationem haberent, nihilominus Clerici illarum perceptarum Dominium consequerentur, ut mox dicemus;

Tertiò enim Bonorum etiam Beneficialium, & ex his superiorum Dominium penes Clericos Beneficiatos esse, ex TT. cum S. Thoma *cit. quest. 185. art. 7. in C. Bannez. 2. 2. quest. 32.*

art. 6. dub. ult. Lessius cit. cap. 4. n. 44. Molina Tract. 2. De J. & J. Dissp. 142. Haunoldus Tom. 1. De J. & J. Tract. 4. à n. 68. ex JCtis cum Gloss. in can. Duo sunt, V. Proprietatem, 12. q. 1. Covarruvias in c. Cum in Officij cit. n. 7. Sarmiento. De Redit. Eccles. p. 4. cap. 6. n. 2. Marfil. Tract. eodem p. 2. cap. 35. Vasquez. De Redit. cap. 1. §. 2. Dub. 1. Barbosa uterque; Petrus quidem in l. Divortio. 8. ff. Solutio matrim. p. 2. n. 29. Augustinus verò Juris Eccles. lib. 3. cap. 17. n. 10. Gonzalez in c. Si quis sanè De Pecul. Cleric. n. 6. & ab his relati alij Divini & Humani Juris Interpp. ac DD. id desumentes.

86 Primò, ex varijs Juribus, & imprimis quidem ex *Aurb. Presbyteros C. De Episc. & Cleric.* ibi, *quolibet modo ad Dominium eorum, & c. fin. De his, que sunt à majori*, cujus textu Canonico- rum reditus Vocantur *sui*. Deinde clariùs ex Decretis Reform. Concilij Trident. *Sess. 23. cap. 1.* ubi cum Clerici non residentes pro rata temporis, absentia à suis Ecclesijs fructus suos non facere: & *Sess. 24. cap. 12.* ubi, cum ijdem pro rata temporis privandi dicuntur fructibus, quos ratione Præbendæ & Residentiæ lucrati sunt, & fecerunt suos, manifestè indicatur fructuum Dominium à residentibus acquiri; quia fructus suos facere, eosque lucrari, idem omnino esse, quòd dominium acquirere, patet ex c. Unico §. *Qui verò de Cleric. non resid. in 6.* Denique & clarissimè ex Constitutione Julij tertij, quæ incipit *Cum sicut 6. Junij 1550.* editâ, redituum Beneficialium Dominium, sicut negante, antequam sunt exacti, ita adstruente, postquam sunt percepti. Ejustenor ita habet. *Nos attendentes fructus, pecunias, ac alias res occasione Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore provenientes, licet, postquam ad manus Beneficiatorum pervenerunt & c. non ulterius in Ecclesiasticis, sed potius ipsorum Beneficiatorum proprijs, & ab eis acquisitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro secularibus, & profanis haberi & c. consueverint nihilominus, donec ipsi Beneficiari pecunias non exegerint, & fructus non perceperint & c.*

semper

semper ipsarum Ecclesiarum, & verè Ecclesiasticos esse & censerè debere &c.

Secundò, ex ipsa institutione Titulorum Beneficialium, & bonorum Ecclesiasticorum, quæ communia erant, divisione: ¹⁷ quâ, dum reditus olim communes divisi sunt in porciones, istarumque tribus Episcopo, Fabricæ, & pauperibus relictis, quarta particularibus Clericis assignata, & adjudicata fuit, per *text. can. Quatuor can. De redivibus* 12. q. 2. hæc istorum propria est facta *arg. S. fin. Instit. de Officio Jud. & l. 1. C. Communia utriusque jud.* juxta quem textum Divisio vicem obtinet Emptionis.

Tertiò ex ratione; partim quia Clerici Beneficiorum suorum fructus obtinent tanquam stipendium, ipsis ab Ecclesia attributum ad congruam sustentationem, & retributionem si- ¹⁸ ve præmium laboris; Beneficium enim propter Officium datur *c. fin. De Rescript. in 6.* partim verò quia fructus beneficiales Clericis omnes obveniunt titulo beneficij, & promiscuè, inter superfluum, & ad sustentationem necessariam partem non distinguendo, argumento non obscure, ipsis idem juris in utraque: & si illius, etiam istius Dominium acquiri: & denique partim etiam; quia si ejusmodi fructuum non Domini, sed Dispensatores tantum essent, eos, contra Ecclesiæ ipsorum dispensationem committentis voluntatem, ad profana expendendo tam ipsi, quàm alij, quibus eos dant, ad repetitionem aut restitutionem obligarentur, & compellendi essent ab Ecclesiæ Prælati- ¹⁹ arg. *c. Si quis 6. De Reb. Eccles. alien.*

Allata in contrarium argumenta veri speciem majorem, quàm vim habent. Primum quidem & secundum; quia *text. 19* *citt. ejusmodi bona Patrimonium Christi, Jura, Res & Proprietas Ecclesiæ, Esurientium Panis & egentium Tributa* vocantur, & fuerunt, antequam illorum certa portio Clericis deputata esset per divisionem: vel etiam post hanc, quoad partem Ecclesiæ, Fabricæ, vel Pauperibus attributam, aut priusquam particularibus Clericis applicarentur per institutionem, quâ Beneficium

20 in Titulum acceperunt. Eodem modo *furtum & Sacrilegium* committebant olim Clerici, ultra necessitatem aliquid accipiendo & expendendo, ante illorum divisionem: & post hanc etiam in profana expendendo bona ipsarum Ecclesiarum, quorum Dispensatores tantum erant & Procuratores sive Administratores *c. Edoceri. 21. De Rescript. c. Si quorundam 2. De solut. & c. Fraternalitatem 2. De Donat.* Accedit, quod SS. Canones ac PP. & hos inter præsertim S. Bernardus *Epist. 2. & 42.* atque *alibi*, ejusmodi Clericos *fures*, quin & *homicidas pauperum* vocando, sæpe usi sint, justâ quidem, sed Oratoria exaggeratione: quali aliquando etiam in avatos Laicos invehi consueverunt; quod ab ipsis in extrema aut valde gravi necessitate constituti Pauperes negligerentur. Ita DD. *n. 15. cit.* cum S. Thoma *art. 7. cit. ad 2. & 3.* ubi, cum Clericorum bona non omnia in Pauperum, sed alios etiam usus expendenda asservisset, Sententiam S. Hieronymi *can. Clericos cit. & c. Quoniam 16. q. 1.* relati & quidquid Clerici habent, differre Pauperibus attribuentis, intelligit de articulo necessitatis, quo pro redemptione captivorum & alijs necessitatibus Pauperum, etiam vasa cultui Divino dicata distrahantur juxta *can. Aurum 12. q. 2.* quia tali casu bona illa Pauperibus communia evadunt.

21 Tertium autem; quia imprimis testamenti factionem non habent Impuberes, & alij *princip. & §. 1. cum seqq. Instit. Quibus non est permissum & c.* et si bonorum suorum Domini sint, juxta illud Gentium Doctoris. *Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit dominus omnium Galat. cap. 4. v. 1.* Deinde; quia ejusmodi bona superflua ad pios usus applicare Clerici jubentur, partim; quod id. Personas Ecclesiasticas præ alijs, & ad fidelium Laicorum exemplum deceat: partim; quod hac spe à fidelibus oblata, & ab Ecclesia liberalius ipsis sint deputata. Et denique; quia de illis testari specialiter prohibentur, non ob defectum Dominij: sed ex iisdem causis, atque etiam, ut minus intenti sint congerendis opibus, & magis

magis proni ad eleemosynas & alias causas pias, ut rectè obser-
vat Haunold. *cit. tract. 4. n. 82.*

ARTICULUS VII.

De ejusmodi Redituum Beneficialium Aliena- tione.

SUMMARIUM.

1. Isti, si superflui, in causas pias impendendi,
2. Ex præcepto Ecclesie.
3. De ijs liberè testantur vi Privilegij,
4. Amplissimè indulti Clericis Romanis.
5. Pauperum & Causæ Pix nomen, qua comprehendat:
6. Et quomodo in eam Reditus impendantur.
7. Testari de ijs Clericis à Jure prohibentur:
8. Ad causas pias permittuntur vi Consuetudinis:
9. Quà liberè testandi facultatem obtineri posse, multi negant,
10. Propter defectum Rationalitatis:
11. Affirmant numero aut nomine non inferiores;
12. Per moti arg. Extravag. 2. Joan. XX. de El & one:
13. Paritate Privilegij Apostolici:
14. Et plurium Provinciarum exemplo.
15. Ejusmodi Consuetudo, an late pateat, dubium:
16. Reprobata tamen non est à Jure:
17. Neque ejus rationabilitas probata.
18. Clericis intestatis in Beneficialibus succedit Ecclesia,
19. Habitâ ratione fructuum ab ipsa perceptorum:
20. Aliquando Prælati aut aliæ Personæ Ecclesiasticæ:
21. Jure Spoliorum Camera Apostolica:
22. Aliquando Collatores Beneficiorum.
23. Vi Consuetudinis aliquando Consanguinei;
24. Argumento ab Expresso ad Tacitum deducto.
25. Ejusmodi Consuetudinis Utilitas.

Cleri-

1 **C**Lericos, etsi reddituum Beneficialium Domini sint, illorum tamen partem, si quæ ad congruam sustentationem necessaria non est, expendere teneri in Pauperes aliasque pias causas: & ad profanas applicando graviter peccare patet ex *can. Quia tua, can. Res Ecclesie* 12. q. 1. *can. Quisquis &c.* ibid. q. 2. & Similibus sanctionibus Ecclesiasticis multis, & DD. non paucis expressè tradi videtur Decreto Tridentini *sess. 25. cap. 3. de Reformat.* Vnde

2 Dubium, & non levis momenti controversia oritur de Jure, quo in pios usus sunt impendendi: in qua, etsi id Naturalis Legis præceptum esse, plures sentiant, probabilius tamen cum *Soto lib. 10. De Justitia q. 4. art. 3. & Sarmiento De Redit. p. 2. cap. 1. & 2. & p. 4. cap. 1. Lessius lib. 2. de I. & I. cap. 4. n. 47. Palao Tract. 6. Diss. 1. p. 6. n. 5. & Haunoldus Tom. 1. de I. & I. Tract. 4. n. 82. & alij RR. TT. & JCTi.* permulti, id faciendi præceptum Juris Ecclesiastici, quod *citt. text.* habetur, esse defendunt; partim quòd ejusmodi obligatio Naturalis nullo solido fundamento nixa: & expeditæ resolutionis non sit, ex qua Virtute oriatur: partim verò; quòd, si obligatio illa esset Juris Naturalis, à potestate Humana, præsertim per Legem vel Constitutionem concedi non posset facultas, de ejusmodi Bonis ad quascunque causas liberè disponendi, & præsertim testandi, aut ipsis intestatis in ijs succedendi: quæ tamen Clericis quibuscunque in Vrbe ejusque districtu ad decem miliaria liberaliter indulta est Constitutionibus editis, à Sixto IV. quæ incipit, *Etsi Universis* Calend. Jan. 1474. & Julio III. quæ incipit *Cupientes* Idib. Maij 1550. cujus tenor ita habet.

4 *Motu proprio &c. statuimus & ordinamus, quòd de cetero perpetuis futuris temporibus omnes & singuli Urbis incola, cujuscunque dignitatis, status, gradus &c. de omnibus & singulis eorum immobilibus, mobilibus, & se moventibus bonis, pecunijs, juribus, actionibus & rebus alijs in dicta Vrbe & ejus districtu pro tempore consistentibus, & per eos, etiam ex fructibus, redditibus & proventibus*

Beneficijs Ecclesiarum & Beneficiorum Ecclesiasticorum &c. acquisitis, cujuscunque quantitatis, qualitatis, summa, valoris & pretij, seu conditionis existant &c. tam donatione inter vivos quam causâ Mortis, etiam Testamento, Codicillis, Fideicommissis, Legatis, aut quavis alia ultima Voluntate in favorem Consanguineorum, & Affinium suorum, & quarumvis aliarum Personarum, disponere &c. licitè valeant. Quòdque, si ab intestato decesserint, eorum bona, pecunia, jura, actiones, & res hujusmodi &c. ad ipsorum pro tempore proximiores Agnatos, & alios, qui eis, nisi Beneficiarij essent, de jure succedere deberent, aliàs juxta juris dispositionem devoluantur. Eadem facultas iisdem à Paulo V. Constit. quæ incipit *In eminenti* 18. Aprilis 1606. editâ, amplissimè est confirmata.

Porro Pauperum. & Piæ causæ nomine, secundùm Doctorem Angelicum 2. 2. q. 185. art. 7. & communem aliorum doctrinam in hac materia, veniunt quæcunque Personæ, ad vitium aut statum necessaria non habentes, & quæcunque operaria tendentia ad cultum Divinum. Quare Beneficij sui redditus, ut oportet, impendere videbitur Clericus, si ex illis imprimis ipse accipiat sustentationem: quæ non tantùm suæ Personæ, & familiæ alimenta, & salaria *can. Studeat in fin. dist. 50.* sed etiam honestas, & statui suo convenientes recreationes, hospitalitatem, & moderatas ac præsertim ex causa remunerationis factas donationes comprehendit, Navarrus *de Eccles. reddit. q. 1. Monito 36. n. 1. V. Ceterùm.* Deinde, quæ supersunt, expendat in eleemosynas, & alimenta pauperum, ex iisque juvet consanguineos, & familiares, ut secundùm decentiam statûs, siue conditionis suæ vivere (non statum suum ad majorem splendorem attollere, superbè & luxuriosè vivere &c. Sylvester *V. Clericus q. n. 11. V. Decimo quinto*) possint *can. Omnino, junctâ Glosâ V. Ut mercede dist. 31. & c. 1. De Cohabit. Cleric. & mulier.* Felinus in *c. Postulasti 27. de Rescript. n. 6. V. Et hoc; quòd liceat.* & Panormit. *inc. Pervenit. 3. De Arbitr. n. 1. vel in Templorum,*

rum & Altarium ornatus, pias fundationes, aliâque similia opera, impendat secundum S. Thomam *art. 7. cit.* & Fagnanum *in c. Si quis sanè, de Pecul. Cleric. à n. 17.* rem hanc latè & accuratè expendentem. Vnde

- 7 Gemina, & utraque maximi in Praxi momenti, Controversia oritur. Prima est; utrùm Clerici de bonis Beneficialibus superfluis liberè, & ad quascunque causas disponere, & præsertim testari possint vi Consuetudinis? Ad pias causas, quantumvis Jure prohibeantur per text. *c. Ad hac 8. c. Quia nos 9. de Testament.* testari eos vi Consuetudinis posse, desumi à DD. solet ex *c. Relatum 12. eodem Tit.* Vbi non improbanda dicitur
- 8 Consuetudo, quâ de Bonis mobilibus per Ecclesiam quæsitis, Pauperibus, & Religiosis locis, & iis, qui viventi serviêrunt, aliqua juxta servitij meritum conferantur. Vnde à contrario infertur, improbandam Consuetudinem, quâ de Bonis, intuitu Ecclesiæ quæsitis, testentur ad causas profanas.
- 9 Hujusmodi certè consuetudinem etiam, cujus initij memoria non extat, cum Panormit. *in c. Cum esses 10. de Testament. n. 5.* & Navarro *q. cit. Monito 53.* tanquam invalidam impugnant Henric. Canisius *in c. 1. de Testament. n. 18.* Molina *Tract. 2. de 1. & 1. Disput. 147. n. 31.* Valquez *de Redit. cap. 2. §. 1. n. 83.* Laiman *Theolog. Moral. lib. 4. Tract. 2. cap. & n. 3.* Pirrhing. *Method. juris Canon. lib. 3. Tit. 26. n. 42.* & alij, præter argumentum ex *cap. Relatum cit.* deductum, moti gravissima ratione; quòd Clericis Testamenti factio, ad hujusmodi saltem causas, à SS. Canonibus interdicta sit; ut congerendis opibus minùs intenti, & magis proni essent ad cleemosynas, & promovendas aliàs causas Pias; ut redditus superflui expendere in usus respondentes primæ intentioni Fundatorum, & statui Clericorum convenientes; ut, quòd *c. Cum in Officijs de Testament.* habetur, *providetur indemnitati Ecclesiarum &c.* quæ procurandi studium, cum Consuetudo, ad profanos usus testandi licentiam universaliter permittens, multùm diminuat, & extinguat:

tinguat: & contra vana, & à Clericali Ordine aliena studia excitet, pro irrationabili meritò habetur & corruptela *arg. c. 1. de Consuet. & c. Unici de Cleric. non resid. in 6.* Confirmatur; quia ejusmodi consuetudo ex una, non leve damnum infert Ecclesiis: quæ, Beneficiatorum bonis aliò averfis, negliguntur: ex altera verò parte parùm utilitatis affert hæredibus profanis: apud quos Clericorum bona vix unquam solent fructificare: imò sæpè magna mala & clades domesticas Familiis afferre, manifesto indicio Divinæ maledictionis.

Contra verò de ejusmodi bonis testandi licentiam **Con- 11**
suetudine acquiri posse cum Covarruvia in *c. Cum in Officijs cit. n. 9.* Sarmiento *de Redit. Eccles. p. 4. cap. 1. n. 8.* Garcia *de Benef. p. 2. cap. 1. n. 16.* Barbosa utroque, Petro quidem in *l. Divortio. princip. ff. Solutio matr. p. 2. n. 53.* Augustino verò *Juris Eccles. lib. 3. cap. 17. n. 68.* Gonzalez in *c. Relatum cit. n. 2.* & alijs JCTis docent ex *TT. Lessius l. cit. cap. 19. n. 43.* Azor *p. 2. Inst. lib. 7. cap. 9. quæst. 1.* Haunoldus *l. cit. Tract. 6. n. 257.* **12**
&c. Moventur etiam ipsi minimè levibus momentis rationum: & primò quidem paritate Consuetudinis, vi cujus Beneficij vacantis fructus alijs etiam Secularibus Personis applicantur: quæ *Extravag. 2. Joan. XXII. de Electione* non rejicitur. Secundo, quòd Clerici de ejusmodi bonis testari prohibeantur Jure solùm Humano: cui Consuetudo, legitimè præscripta, potest præ- **13**
valere per text. *c. fin. de Consuetud.* Tertiò, quòd de ijs ad causas profanas, sicut inter vivos, ita per ultimam voluntatem disponere possint vi Privilegij Apostolici, non solùm particularis, sed communis, & per modum Legis, *perpetuis futuris temporibus duratura*, Clericis in Vrbe, ejusque districtu amplissimè concessi à Sixto IV. Julio III. & Paulo V. Constitutionibus *n. 4. alleg.* Cur non etiam vi Consuetudinis, præsertim immemorialis? quia hæc æquiparatur Privilegio *l. Hoc Jure §. Aqueductus ff. De Aqua quotid. & est & c. Super quibusdam 26. de V. S. & vim Legis habet l. Diuturna 33. ff. de LL. Cùm circumstantiæ,*

quæ hanc, etiam illam rationabilem reddere possint, Sylvester
 ¶ 4 *V. Consuetudo n. 2. in fine.* Quartò, quia defacto in Hispania
 Galliâque, teste Covarruvia *n. 7. cit.* & alicubi etiam in Germa-
 nia nostra, teste *cit. Pirrhing. n. 39.* obtinet ejusmodi Consue-
 tudo, Papa sciente & non contradicente, ac proinde tacitè
 consentiente, juxta *Reg. Qui tacet 43. in 6.*

¶ 5 Ex duabus his sententijs Nos, etsi non leve dubium sit,
 an prædicta de superfluis liberè testandi Consuetudo tam late
 pateat, quàm ab aliquibus existimatur; partim quia Consuetu-
 dinem, vi cujus Episcopi, itaque superiores Prælati de Bonis, sua-
 rum Ecclesiarum intuitu quæsitis, sine Sedis Apostolicæ licen-
 tia liberè testentur, neque in Regnis & Provincijs, Regi Catho-
 lico, & Christianissimo subjectis, neque in Germania nostra, vel
 Polonia, neque alibi introductam ex posterioris sententiæ Af-
 fertoribus agnoscit Azor *quest. 1. cit.* partim quia ex Clericis
 inferioribus plurimi bona Beneficialia superflua non habent;
 & propterea ex eo, quòd ad causas profanas testentur, de Be-
 neficialibus superfluis ad hujusmodi causas disponendi libera
 facultas non evincitur: & qui superflua habent, & timorata
 conscientia sunt, de ijs, vel ad pias duntaxat causas, vel cum
 Superiorum licentia disponunt: Etsi, inquam, hoc dubium sit,
 & non tantùm probabilem censeamus, sed in praxi omnino
 suadeamus sententiam priorem: posteriorem tamen, spectatâ
 tam ratione quàm autoritate judicamus probabiliorem.

Neque obstat ratio allata pro priore; quia in primis argu-
 mentum à contrario ex *c. cit.* desumptum, etiam militat contra
 Consuetudinem ad causas Pias testandi de immobilibus: quam
 tamen ex ejus sententiæ Patronis plerique defendunt. Deinde
 quia textus ille est Jus merè Humanum: cui derogari Consuetu-
 dine potest per text. & DD. *in c. fin. cit. de Consuet. & L. De qui-
 bus 32. ff. de LL. præsertim Immemoriali: quæ generali, & di-*
 ¶ 6 ctione etiam universali facta, Consuetudinis reprobatione sub-
 lata non censetur, nisi ejus expressa mentio fiat, Felinus *in Ru-
 br.*

br. de Rescript. n. 18. saltem, si non reprobetur tanquam irrationabilis aut iniqua. Covarruvias *lib. 2. Var. cap. 13. n. 15.* quomodo ea, de qua nobis sermo est, à Jure nusquam reprobatur: neque etiam censeri debet propterea; quòd aliquando studium bona congerendi augeat, & piè expendendi diminuat; quia hoc per accidens aliquando fit, sicut contrà per accidens aliquando Clerici sua prodigunt, aut negligunt; quòd de ipsis liberè disponere non possint. Tertiò; quia bona beneficialia juxta intentionem Fundatorū applicata hoc ipso jam sunt, quòd Clericis ad cultum Divnū ex Officio obligatis sint deputata. Et denique; quia damnum, quòd Ecclesiæ patiuntur, non est injustum; cū superflua ipsis non debeantur ex Justitia: & si ita debita aliquando fuissent, Consuetudine, præsertim immemoriali tempore præscriptâ, esse desiissent *arg. c. Super quibusdam & §. Aqueductus cit.*

17.

Altera controversia est, an ejusdem Consuetudinis vi, Clericis intestatis in ejusmodi bonis succedere Consanguinei possint? de Jure ea remanere penes propriam Ecclesiam debere, patet ex *can. Quoniam dist. 75. c. 1. c. fin. de Pecul. Cleric. c. Cū in Officijs & c. Relatum cit.* Si verò Clericus Beneficiatus fuit Ecclesiarum diversarum, relicta ab ipso bona hujusmodi, quando non apparet, ex cujus Ecclesiæ beneficio proveniant, inter illas, saltem habita ratione fructuum à singulis perceptorum, dividenda sunt ita; ut plus relinquendum sit ei, à qua fructus ampliores sunt percepti, juxta *cit. c. §. fin. c. fin. de Off. Ordin. in 6. & Barbosa ibi n. 10.*

18

19

De Jure, inquam, intellige, *Communi*, imprimis; quia ex Jure speciali, scilicet Privilegio vel Consuetudine legitimè præscripta, sicut Ecclesiæ Vacantis, ita etiam ab ejus Rectore vel Beneficiato relicta bona ad Prælatum, vel aliam Personam Ecclesiasticam spectare posse, constat ex *§. Nisi speciali c. fin. cit. Barbosa ibi. n. 3.*

20

Deinde, quia bona Clericorum, quæ verè, aut quasi Patrimonialia non sunt, & non spectant ad Domesticam suppellectilem,

21

Iem, ut arcæ, mensæ, sedilia, dolia vacua & similia, vel ex Beneficiis aut Pensionibus, redditus minores quam triginta aureorum de Camera non habentibus, relicta sunt, tanquam Spolia Sedi Apostolicæ ejusque Cameræ reservata sunt *Extravag. Julij III. Pauli III. Pij IV. & V. teste Navarro Comment. De spolijs §. 14. & Canisio de Success. ab intest. n. 50. qui tamen ibidem monet, dictorum Summorum Pontificum de Spolijs Constitutiones, usu non receptas in Germania nostra. In istius tamen Superioribus Provinciis alicubi bona Clericorum, quæ Patrimonialia esse non constat, ab Episcopis aliisque Beneficiorum Collatoribus Spoliorum nomine vendicari solent: in Inferioribus autem, sive Belgicæ Provinciis, iisdem intestatis, in mobilibus intuitu Ecclesiæ quæsitis, Capitula sive Episcopos succedere, notat Vallenf. *Paratit. lib. 3. Tit. 27. n. 7.* Denique, quia ex Privilegio Apostolico iisdem ab intestato succedere Consanguineos posse, res certa est apud omnes, patetque ex Constitutionibus SS. Pontificum *n. 4. allegat.**

33 Consuetudinem autem, vi cuius isti iisdem intestatis in bonis Beneficialibus succedant, tanquam irrationabilem & Corruptelam, cum plerisque DD. *n. 9. allegatis impugnat cit. Canisius n. 48. contra verò cum Covarruvia & istius asseclis n. 11 relatis defendit Zoësius De success. ab intest. n. 4.*

Ex quorum pugnantibus & probabilibus sententijs probabilior, & præferenda nobis videtur posterior; etsi sicut de testandi ita de intestatis, in bonis intuitu Ecclesiæ quæsitis succedendi Consuetudine, aut ita, ut aliqui volunt, latè, saltem in Germania nostra pateat, meritò quis ambigat. Sed, utcunque istud se habeat, iisdem rationibus, quibus de bonis Beneficialibus testandi, etiam Clericis intestatis succedendi Consuetudo suadetur, &

Confirmatur primò ex *c. Cùm tibi 18. junctâ Glosâ in causa de Verb. Signif.* Vbi hujusmodi Consuetudo, dum contra eam concessum privilegium latè interpretandum dicitur, sine ulla

ulla ejus reprobatione, non obscure à Papa sustinetur, saltem ubi ei contrarium Privilegium non est obtentum. Secundò *arg. Extravag. 2. Joan. XXII. de Elect.* Tertio, paritate Consue- 24 tudinis testandi; cùm enim argumentum ab *expresso* ad *tacitum*, in Jure validum sit per tradita ab Everardo *Loco Legali ab Expresso ad Tacitum*, Consuetudo validam reddere poterit, sicut Beneficiati Testamentum, sive dispositionem ad causas profanas Expressam, ita etiam Tacitam, ut eo ipso, quòd quis intestatus decedat, relicta ab ipso bona hi vel illi hæredes consequantur, ut rectè argumentatur Molina *cit. Dissp. 147. n. 28.* Quarto; quia tali Consuetudine permixta evitantur plurimæ lites, aliæque gravia in commoda convenientia ex incertitudine, an bona relicta Patrimonialia, an alia, an Personæ, vel Ecclesiæ 25 intuitu sint quæsitæ. Quintò denique; quia hujusmodi Consuetudo in Gallia, in Regno Castellæ, & alibi defacto viget, testibus *citt. Petro Barbosa n. 6. Vallensi n. 7. & præsertim Covarruvia n. 25.* ubi tamen utramque hanc Clericis tam ex Testamento, quàm intestatis succedendi Consuetudinem, ut secundùm ipsam pronuntietur, ab allegantibus per testes, aliòsque legitimos modos probandam monet: & demum *n. 27. in fine* Clericos ipsos salubriter hortatur, ut tam Gradus, in quo per Sacros Ordines sunt constituti, & Officij sui, quàm Ecclesiasticæ in se benignitatis liberalitatisque memores, Ecclesiarum & Beneficiorum suorum intuitu quæsitæ bona, piis in eadem, in Pauperes & ceteras ejusmodi causas largitionibus impendendo, animarum suarum saluti consulere, & alijs Fidelibus exemplo præluere studeant; ne opes, quas, ipsis, dum vivunt, in has non largientibus, non capit Christus, rapiat Fiscus: aut isto non absorbente, beneficiorum non raro immemores, & plerumque ingrati Consanguinei absument.

PARS



PARS II.

De Causa & Forma Canonica Alienationis Rerum Immobilium, & Pretiosarum.

Etiam hæ, easque spectantia Ecclesiarum, Monasteriorum &c. jura, sicut omnino liberâ distractione in alios transferri prohibentur: ita exigente aut suadente justâ Causâ, & adhibitâ Formâ à SS. Canonibus præscriptâ, alienari, etiam in Laicos, permittuntur.

ARTICULUS I.

De Canonica Alienationis Causis.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|---|
| 1. <i>Immobilis alienandi causa quadruplex est.</i> | 9. <i>Qua debet esse evidens,</i> |
| 2. <i>Prima Necessitatis Ecclesie.</i> | 10. <i>Et legitime probata.</i> |
| 3. <i>Secunda Utilitatis ejusdem.</i> | 11. <i>Tertia causa est Pietatis.</i> |
| 4. <i>Alienationem non damnosam esse, sufficere vult Glossa:</i> | 12. <i>Exercenda Redemptione Captivorum.</i> |
| 5. <i>Melius negant ceteri DD.</i> | 13. <i>Pauperum Alimentatione,</i> |
| 6. <i>Majorem Ecclesia utilitatem exigentes.</i> | 14. <i>Ecclesia &c. adificatione.</i> |
| 7. <i>Expositio Auth. Hoc Jus. C. De SS. Eccles.</i> | 15. <i>Quarta Incommoditatis Rerum alienata.</i> |
| 8. <i>Et explicatio majoris Utilitatis:</i> | 16. <i>Utilitas includit causam Remunerationis,</i> |
| | 17. <i>Et, latius accepta, ceteras omnes.</i> |

Causæ

CAusæ legitimæ, siue ex quarum aliqua Res Ecclesiarum, Monasteriorum &c. Immobiles, aut mobiles Pretiosæ alienari possunt, à Barbofa *Jur. Eccles. lib. 3. cap. 30. n. 11.* Fagnano *in c. Nulli 5. De Reb. Eccles. alien. n. 7.* aliisque Interpp. & DD. RR. plerisque, cum Gloss. *in Summam 12. q. 2.* Panormit. *in c. Nulli cit. n. 5.* Redoano *De Reb. Eccles. non alien. Rubr. 18. n. 1. & seqq.* Covarruvia *lib. 2. Var. cap. 17. n. 2.* & Nicol. Euerardo ICTO. & in Electorali nostra Vniuersitate SS. Canonum Antecessore celeberrimo *Vol. 2. Consil. 19. n. 58.* referri solent quatuor: quarum

Prima est Vrgens necessitas Ecclesiæ; quòd hæc ære alieno, quo gravatur, liberari, nisi aliquâ ejusmodi Re distracta, vel creditori in solutionem datâ, non possit. *Auth. & can. Hoc jus porrectum, ibi, Si debitum urget C. De SS. Eccles. & 10. q. 2. can. Non habenti. can. Placuit. 12. q. 1. cit.* aut ei immineat ruina, vel damnum aliter inevitabile; vel patiatur defectum Sacræ suppellectilis, necessariæ ad rem Divinam, ritè, decentèrque obeundam, ad quam parandam, & Ministros alendos, fructus & proventus non sunt sufficientes, Sylvester V. *Alienatio q. 2. Redoanus n. 14. & Donatus Tom. 1. Prax. Regular. p. 2. tract. 14. quest. 9. n. 2.* Ratio est; quia Necessitas non subiacer Legi per *text. c. Consilium 2. in fine. De observatione jejun.* imò ea ipsius vis est, ut non modò Leges vincat *l. Aliquando 5. ff. De Off. Proconsul. & l. 1. C. De Oper. libert.* sed Canones etiam sibi subijcere soleat *c. cit. & c. Licèt 3. De Ferijs,* & faciat licitum, quod de Jure aliàs licitum non est. *l. 1. C. De Patrib. qui fil. distr. & Reg. Quod non 4. De R. J.*

Secunda est ejusdem evidens Vtilitas *can. Sine exceptione, ibi, Quòd non sit dubium, Ecclesia profuturum. 12. q. 2. c. 1. in 6. & Clement. 1. De Reb. Eccl. alien. junctâ Gloss. V. Necessitas aut Utilitas.* Vbi has æquiparari, earumque alteram ad legitimam Alienationem sufficere advertit. Nec immeritò etiam Vtilitas; eum enim ob Ecclesiæ damnificationè potissimùm Jure prohibita

fit Rerum Eccles. Alienatio : hanc permissam esse oportuit, ob causam evidentis ipsius Utilitatis; ne, quod in Ecclesiæ favorem & utilitatem salubriter est introductum, in ejus odium & incommodum retorqueretur contra *l. Nulla Juris ratio 25. ff. de LL. l. Quod favore 6. C. eodem Tit. & Reg. Quod ob gratiam 61. in 6.* Sed hinc

- 4 Dubium oritur, an, ut Alienatio reputetur Ecclesiæ utilis, exigatur, ut fiat locupletior, sive ejus causa melior evadat, re Immobili distractâ, quàm retentâ? Hoc non exigi, sed sufficere, quòd illa Ecclesiæ non sit damnosa, existimat Glossa in *can. Sine exceptione cit. V. Profuturum*, ubi *Eo ipso*, inquit, *quòd non est facta pauperior, intelligitur locupletior per text. l. In pupillo 47. §. 1. ff. De Solut.* Idem suadere videtur Jus & Ratio. Illud *Auth. & can. Hoc Jus C. de SS. Eccles. & 10. q. 2.* ubi Rei Ecclesiæ immobilis Alienatio sustinetur, *si nihil factum sit ad damnum Divine domûs.* Ista verò, sive ratio; quia ex una, Justitia Commutativa exigit, ut in Contractibus observetur æqualitas, & quod datur, valore & æstimatione adæquetur ei, quod est receptum; ideo enim non *Rationis*, ut Virtutes aliæ, sed *Rei medium* respicere dicitur à S. Thoma 2. 2. *quest. 61. art. 2.* Ex altera verò parte, æqualitas desideratur in Alienatione, quâ Ecclesia locupletior evadit; ut enim quis locupletior dicatur, Bonis sive rebus ipsius aliquod incrementum accessisse debet, & cum ipso contrahentis rebus decessisse.
- 5 Verùm, his non obstantibus, Alienationem ex eo duntaxat, quòd damnosa non sit, Ecclesiæ utilem & permissam non censei, cum Ægid. Bellamera in *can. cit. n. 1. Geminiano ibid. n. 2. & Redoano Rubr. 19. n. 15.* rectè docet Barbosa *cap. cit. n. 13.* & aliis DD. atque etiam Rotæ *Decis. allegat. Donatus cit. quest. 9. n. 8. & 11.* propter satis claros textus Vtriusque Juris: Imperialis quidem *Novell. 120. cap. 9. V. Hoc autem*, ibi,
- 6 *Ut ex earum, venditarum Ecclesiæ domorum, pretio redditus meliores emat.* Ecclesiastici verò, *can. Sine exceptione cit.* cujus textu

textu relatum Leonis Papæ Decretum est; *Ne quis Episcopus de rebus Ecclesie suæ quicquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, nisi aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat.* Cui consonant *c. Cùm Apostolica 7. §. Ne quis. c. Tua 8. De ijs, qua à Pralat. & c. Ad aures 7. De Reb. Eccles. alien. ibi, Ad maiorem Ecclesie utilitatem.* Quæ fortassis etiam ratio est; cur Episcopus juris Ecclesiastici mancipium, retento Ecclesie Patrimonio, Ecclesie duplum, scilicet duos ejusdem meriti, & peculij servos, præstare quondam debuerit, ex Decreto Concilij Tollet. IV. *can. Episcopus cit. q. 2. relato.*

Neque contrarium persuadendi vim habet *Text. Auth. & can. Hoc. jus cit.* partim; quia Constitutio illa Civilis interpretationem recipit à *citt.* Sanctionibus Canoniceis, & ejusdem Juris *Novell. cit.* Alienationem permittentibus ex causa Utilitatis, non cujuscunque, sed majoris: partim verò; quia *Auth. & can. cit.* agitur de Ecclesie domo alienanda ex causa non Utilitatis, sed Necessitatis, scilicet *urgentis debiti, quod ex solis mobilibus solvi non valebat.* Quæ causa ad Alienationem sola hoc ipso sufficit; quòd Necessitatis & evidentis Utilitatis causæ æquiparentur, & illarum alteram duntaxat intervenire, non utramque conjungi, sit necesse per *text. Clement. 1. ibi, Nisi Necessitas aut Utilitas exposcat. De Reb. Eccles. alien. & Gloss. V. Necessitas, Redoanus Rubr. cit. n. 24.*

Multò minùs urget ratio; quia à Justitia Commutativa intentæ æqualitas ex contractu etiam sic observari: & Immobilia mobiliæque Pretiosa justo pretio, sicut emi: ita vendi, aliòve modo alienari possunt, ut Alienatio Ecclesie non solum nihil damni, sed multùm, imò plus emolumenti afferat & utilitatis; sic enim justissima simul & utilissima Alienatio foret, si v. g. Prædium, Ager, Vineæ &c. distraheretur, ut alia ejusmodi Res immobilis melior, & plus utilitatis allatura, vel ab Ecclesia non procul distita, aut alijs ejus prædijs aut fundis adsitæ, & propterea minori labore, incommodo, & sumptibus excolenda

lenda compararetur : vel si antiqui , & non conspicui operis Calix , Hierotheca , Lampas , vel aliud hujusmodi Pretiosum mobile venderetur , ut ejus pretium in alia ejusmodi rei Divinae decenter peragenda aptiora , vel splendidiora Vasa , vel Ornamenta impenderetur , Donatus *l. cit.*

9 Porro , ut Utilitas Alienationis causa sufficiens sit , evidenter debet apparere , & ex conjecturis , Prudentium judicio , indubitatis manifesta esse ; istud enim importare videntur , vox *evidens* , quâ Innocentius IV. usus est *c. cit.* & Rescripta Apostolica , quæ super Rerum Ecclesiasticarum Alienationibus & Concessionibus emanant , & cum de Alienatione ob causam Utilitatis facienda agitur , hæc munita esse solent clausulâ : *Si in evidentem Utilitatem Ecclesie cesserit* , vel , *cedet* , vel , *cessurans esse* , legitime constiterit , *Venditionem* , *Locationem* , *Permutationem* &c. ut ostendit Redoanus *Rubr. cit. à n. 90.* & latè declarat Corradus *Prax. Dispens. Apost. lib. 9. à cap. 2.*

10 Constare autem debet de ejusmodi Utilitate pro statu præfente , sive tempore Alienationis , & in hanc præstiti consensûs ; ut Barbosa *cap. cit. n. 17.* & legitime , hoc est , non per solam alienantium assertionem , aut evidentis Utilitatis mentionem factam in Instrumento contractûs Alienationis per *text. c. 1. cit. in 6.* sed per Testes aliasque legitimas probationes , ut Corradus *cit. lib. 9. cap. 5. à n. 49.* Donatus *quest. cit. n. 9.* & ante utrumque laudatus maximi in Germania præsertim nostra nominis JCTus. *cit. Consil. 19. n. 55.* observant.

11 Tertia est Pietas , ob quam ad Rei Ecclesiasticæ aliàs prohibita Alienationem quatuor potissimum casibus deveniri posse cum *cit. Gloss. in Summam & can. Aurum. V. In his.* tradit Redoanus *Rubr. 20. n. 7.* & Primò quidem pro Redemptione
12 Captivorum : non etiam facillè Malefactorum patrata crimina carceribus , & vinculis luentium , aut ad Triremes damnatorum ; quia istorum punitio justa & conveniens est Reipublicæ , cujus interest delicta non remanere impunita per *text. can. Ut fame*

fama, De sent. Excom. & l. Ita vulneratus, §. Eiusdem ff ad L. Aquil. cit. Covarruvias cap. 16. n. 9. & Molina Tract. 2. de l. & l. Disp. 468. n. 2. & alij: sed Fidelium, à Turcis aliisque Paganis, aut Hæreticis, in captivitate, aut à Catholico etiam Dynasta carcere injustè detentorum, quibus mors, aut grande corporis, & multò magis animæ, periculum timetur; pro horum enim Redemptione non solùm Res merè temporales, sed vasa etiam Sacra, aliæque Res Spiritualibus antecederet annexæ oppignorari, & aliquando distrahi utroque Jure permittuntur §. Sacra 8. Instit. De Rerum divis. l. Sancimus 21. C. De SS. Eccles. Novell. 120. cap. 10. can. Sacrorum. can. Sicut & can. Aurum. q. cit. 13

Secundò, pro Necessitatibus pauperum, ne frigore aut fame pereant l. Sancimus cit. ubi Imp. Non est, inquit, absurdum animas hominum quibuscunque vasis præferri; cùm, ut ait S. Ambrosius can. Aurum cit. relatus, meliùs sit, ut servantur 14

vasa viventium, quàm metallorum. Tertiò, pro ædificando Templo. Quartò, pro Cæmeterii spatiis laxandis ad Fidelium sepulturam per text. & Gloss. in can. Aurum. V. In his cit. quibus Donatus quest. cit. 2. 13. addit causam defendendæ adversus Paganos & Hæreticos Ecclesiæ, aut propagandæ Fidei Christianæ arg. can. Si Episcopus, & seqq. q. cit. à Bonacina de Contract. D. 2. quest. unic. p. 3. n. 1. & Pirrhing Method. juris Can. lib. 3. Tit. 13. n. 25. approbatam: & Beatissimæ atque Immortalis memoriæ INNOCENTII XI. P. M. in Sacrum, sive adversus Turcas, susceptum bellum, thesauros Ecclesiæ liberalissimè profundentis exemplo, luculentissimè confirmatam. 15

Quarta Ecclesiasticæ Alienationis, & secundo loco relatæ Utilitati affinis causa est Incommoditas, sive Inutilitas Rei v. g. domûs, vineæ, agri; quòd illius fabrica magnis impensis constet, & isti ab Ecclesiæ prædiis, aut aliis fundis sint remoti, & non sine magno incommodo & sumptibus excoli, fructûsque colligi possint, vel ob soli infœcunditatem aut exiguitatem, parùm utilitatis asserant, aut Ecclesiæ sint damnosi per text.

text. *can. Hoc jus cit. §. Item pradium, can. Non liceat, ibi, nisi domos, quæ non modicâ impensâ sustentantur, can. Sine exceptione & can. Terrulas ibi, Ecclesiæ minùs utiles & longè positas, 12. q. 2. cit.* Ratio clara est; quia ejusmodi Rerum Alienatio redundat in evidentem Ecclesiæ Vtilitatem, Molina *l. cit.* & Pirrhing *n. 25. cit. in fine.* ad quam propterea, uti etiam proximè declarata Pietatis, ad Necessitatis causam potest, & ab aliquibus solet revocari.

16 Haftenus relatis casibus, siue Canonice Alienationis causis supra laudatus Everardus *n. 52.* superaddit quintam, scilicet Remunerationem beneficiorum & meritorum, siue obligationem ad antidora, expressam *can. Si quos, can. Quicumque suffragio 12. q. 2. c. Consensus 3. De Reb. Eccles. alien. & c. Per tuas 5. De Donat.* Sed, ut ipse probè advertit, ista reducenda est ad causam Vtilitatis; cum benemeritorum remuneratione, ad liberalitatem in Ecclesiam exercendam, alij invitentur: imò Necessitatis; cum ita effugiat notam ingritudinis in benefactores: quos ut remuneremur, quodammodo urget obligatio naturalis *can. Quicumque cit. & l. Sed si lege 25. §. 11. ff. De Petit. Heredit.*

17 Neque, ut videri potest, relato & à DD. passim recepto legitimarum Immobilia, & Pretiosa mobilia alienandi causarum, siue casuum quaternario adversatur *Clement. 1. De Reb. Eccles. alien.* duas duntaxat, scilicet *Necessitatis & Utilitatis*, causas referens: aut etiam Glosa in *c. Nulli cit.* non nisi pro Vtilitate Ecclesiæ vel Monasterij Immobilium Alienationem permittens; cum unica Vtilitatis saltem latius acceptæ ceteras causas omnes complectatur; etsi enim strictè id solùm, quod rem Ecclesiæ meliorem facit: in larga tamen significatione etiam, quod honestum piùmque aut necessarium est, vel Ecclesiæ damnum aut incommoditatem tollit, Vtile vocatur, & à Jure reputatur, ut idem JCTus perquam eruditè ostendit *cit. Consil. n. 53.*

ARTI-

ARTICULUS II.

De Tractatu Capitulari.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|---|
| 1. Immo-
bilium Alienationi pra-
mittendus Tractatus | 7. Tribus casibus Exceptis. |
| 2. Cum ijs, qui cum Pralato con-
stituunt unum Corpus, | 8. Gesta presentium, uno non vo-
cato, infirma, |
| 3. Et constituti sunt in Sacris: | 9. Imò irrita sunt, si plus quàm
tertiapars sit contempta. |
| 4. Nisi aliud obtineat Jure spe-
ciali: | 10. Tractatu in Collegiata ferè
tantum uno: |
| 5. Clement. 2. De Ætat. & à
Trident. non sublato. | 11. Aliquando pluribus: |
| 6. Vocandi ad Tractatum non
sunt absentes, | 12. In non Collegiata Ecclesia
nullo est opus. |

A Canonice Alienationis Causis, progredimur ad ejus Formam, quatuor Solennitates Jure Communi antiquiore exigentem. Quarum

Prima est Tractatus: in quo Prælatus cum Capitulo, sive Conventu Seculari, aut Regulari de proposita rei Ecclesie Immobilis, aut mobilis Pretiosæ Alienatione, an necessaria, vel Ecclesie aut Monasterio utilis &c. futura sit, deliberet ac decernat per *text. can. Sine exceptione. ibi Cum totius Cleri tractatu, 12. q. 2. & c. Dudum 1. §. Quia etiam, de Reb. Eccles. alien. ubi à Gregorio X. Decimarum perpetua concessio non valere, decernitur, quòd Tractatus Solennis & diligens, qui in talibus Concessionibus & Alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuerit habitus in eadem.*

Nomine autem Capituli intelligitur congregata Univer-
sitas, sive Collegium Clericorum: non quidem omnium, qui in
ejus-

ejusmodi Ecclesia sunt, sed eorum duntaxat, quorum Prælat-
 tus Caput, ipsi verò sunt Membra c. *Novit*, 4. De his, quæ à Præ-
 lat. ita ut cum illo constituent unum Corpus. Franc. de Pauinis
 De Off. & Potest. Capituli Prælud. 5. n. 2. Quales in Ecclesijs Se-
 3 cularibus tam Cathedralibus, quàm Collegiatis sunt Canoni-
 ci, & in Monasterijs, aliisque Regularium Collegijs Professi.
 Imò Jure communi saltem recentiore, ex his illi tantùm, qui in
 Sacris, sive majoribus Ordinibus, saltem Subdiaconatùs, sunt
 constituti juxta *Clement. 2. De etat. & qualit. & Concilij Tri-*
dentini sess. 22. cap. 4. De Reformat. minoribus Ordinibus, aut
 primâ solum Tonsurâ initiatis Clericis tam Secularibus, quàm
 Regularibus Vocem in Capitulo adimentis; ut ita, qui Divi-
 nis officijs in ejusmodi Ecclesijs obeundis mancipati sunt, ad
 Sacros Ordines suscipiendos excitarentur. Vivianus in *Ration.*
Clement. cit. princip.

4 *Recentiore, inquam, & Communi Jure.* Priùs; quia Anti-
 quiore Vox in Capitulo etiam ceteris Canonicis & Religiosis
 competebat, arg. can. *Abbatem 3. & seq. 18. q. 2.* Posteriùs, quia
 Jure Speciali in aliquibus Religiosis Familijs nomine Capituli
 veniunt illi tantùm Patres, ad quos, juxta Statuta Religionis à
 Sede Apostolica approbata, spectat negotijs, collegialiter geren-
 dis, interesse, Donatus *Prax. Regul. Tom. & Tract. 2. quest. 8.*
 imò in Societate Jesu Tractatus, qui Rerum immobilium, aut
 mobilium Pretiosarum Alienationi præmittitur, non cum Ca-
 pitulo, sive Conventu, sed cum solis PP. Consultoribus initur,
 juxta Bullam Gregorij XIII. quæ incipit *Apostolica* editam 18.
 Dec. 1576. Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 468. n. 13.* Contrà in
 quibusdam Religionibus, quoties magni momenti negotia tra-
 ctanda sunt, ex specialibus, & ab ipsis Ordinum Fundatori-
 bus Conditis, atque à Sede Apostolica Confirmatis Statutis con-
 vocandi sunt Professi, etiam Juniores, teste Lud. Engel. *Colleg.*
Jur. Canon. lib. 3. tit. 11. n. 7.

5 Neque obstat, quòd alleg. & à Tridentino *cit. cap. 4.* con-
 firmatâ

firmatâ Clementinâ, Subdiaconatum non habentibus Vox in Capitulo generaliter adimatur, non obstantibus quibuslibet Consuetudinibus & Statutis; partim, quia tam *Clemens V.* quàm memoratâ S. Synodi PP. id faciendo, ab ipsis Fundatoribus condita, & à Sede Apostolica approbata, aut perpetuo usu recepta Religiosorum Ordinum Statuta probabilius non immutârunt: quod Congreg. Cardinal. Interpp. Declaratione anno 1573. editâ firmant Azor apud Zypæum *Analys. Jur. Pontif. Tit. De ijs, qua à majori &c. n. 2.* & Portell. apud Donatum *cit. Tom. 2. Tract. 4. quest. 5. n. 9.* partim verò; quia tam Papalis, quàm Conciliaris dispositionis Claufula intelligi potest de Ecclesiis Regularibus, in quibus à Fundatoribus nihil constitutum, aut perpetua & immemoriali Consuetudine est receptum. Ex hæcenus dictis

Dubium oritur, an ad Tractatum de Rei immobilis Alienatione convocari, & convenire debeant omnes Capitulares? 6
 Requiritur & ordinariè sufficere, si ad eum vocentur omnes, qui in loco præsentibus, aut non procul absentes sunt, patet ex *can. Hoc jus porrectum 10. q. 2.* & præsertim ejus verbis, *Majore parte ibidem servientium presente.* Ratio prioris est; quòd in actibus Capitularibus Suffragij jus competat omnibus Capitularibus: cujus proinde usu & exercitio privari, sine causa, ipsorum nemo debet: partim verò; quia de Alienatione tractandi, eamque consensu suo approbandi jus Capitularibus competit communiter *arg. can. Sine exceptione & §. Quia etiam c. 11.* quando autem de aliqua re tractandi jus pluribus communiter competit, ea communibus suffragiis, & omnibus, quorum interest, præsentibus, aut saltem vocatis, est pertractanda *l. De unoquoque 41. ff. De re judicata Tholosanus Tract. De Elect. cap. 17. n. 4.*

Posterioris autem; quia ad Tractatus, aliòsque actus Capitulares, qui à loco absunt vocari de Jure tribus solummodo casibus debent: & in primis quidem, cùm eligendus est vacantis Ecclesiæ Prælatus *c. Quia propter 42. de Elect.* Deinde cùm

K

recipien:

recipiendus aliquis est in Canonicum, aut facienda Collatio Præbendarum & Beneficiorum *c. Cùm in Ecclesijs* 33. *De Præb. & Dignit. in 6.* & denique, cùm indicenda est Cessatio à Divinis, *c. Quamvis de Officio Ordin. in 6.* Francisc. de Pavinis *Præjud. cit. n. 13.* Quibus Panormit. imprimis in *c. 1. De ijs quæ fiunt à majori. n. 15.* addendos censet casus, quibus memoratis similes, aut magis arduæ causæ sunt pertractandæ; propter paritatem rationis, quæ in dispositione Juris, Ecclesiarum utilitatem spectantis, ac proinde favorabilis, extensionem facilè permittit, *arg. c. Cùm dilecta 4. De Confirmat. utili & c.* Deinde inc. *Coram. 35. De Elect. n. 5.* pro valida habet Consuetudinem (& Statutum) ad aliquem v. g. de Alienatione Tractatum etiam absentes vocari exigentem.

8 Et si verò Capitulares, qui de Jure debent, vocati, extra casum, quo ipsorum absentia Ecclesiæ damnosa, aut præsentia valde utilis est, aut speciali Jure aliud obtinet, ad comparandum compelli nequeant. *c. Quia propter cit. ibi. Qui volunt interesse: iisque spontè absentibus, ceteri in negotio procedere possint, Glossa in c. cit. v. Qui volunt. Panormit. ibid. n. 4. & Sylvester v. Electio, quest. 5. dicto. 3.* eorum tamen, qui possunt, Vocatio adeo necessaria est, ut, si ad negotium collegialiter tractandum ipsorum unus neglectus non vocaretur, id, quod à majori parte in sua absentia gestum est, irritum reddere solus ipse facilè posset, quàm plures præsentium, majoris partis consensu & approbatione gestis contradicendo, per *text. c. Quod sicut 28. princip. c. Bona 36. in fine De Electione & inc. 1. cit. ex communi DD. sensu tradita à Panormit. n. 16. & Fagnano n. 6.* Imò, si vocandorum plùs quàm tertia pars contempta esset
9 ita, ut eorum, qui debent, & volunt, & commodè interesse possunt, pauciores quàm duæ partes convenirent, Tractatus ipso Jure irritus foret, non tam propter illorum contemptum, quàm ob defectum Potestatis ad aliquid decernendum sufficientis; cùm vis & potentia Capitularis in duabus ejusmodi
Capi-

Capitularium partibus resideat, per ea, quæ cum Panormit. *l. cit. & In c. in causis 30. De Elect. n. 9.* & Innocentio in *c. Cum Nobis 19. eodem Tit. n. 6.* tradunt ceteri Canonistæ; quia duæ partes Curix aut Capituli illam aut hoc totum repræsentant, secundùm *l. Nulli 3. cum seq. ff. Quod cujusque Univers. nom. & c. Cum Nobis cit.* integram lectionem ab Emman. Gonzal. relatam.

Dubium hîc ulterius moveri potest de numero Tractatum Capitularium, Immobilium Alienationi præmittendorum; Plures enim, & saltem ternos aliqui exigunt apud Redoan. *De Reb. Eccles. non alien. Rubr. 24. n. 26.* Sed id Jure nuspiam est expressum; ut proinde non immeritò iste *n. 28.* cum Panormit. *in c. Tua 8. De iis, quæ à Pralat. n. 3.* Sylvestro *V. cit. quest. 4.* Covarruvia *lib. 1. Var. cap. 17. n. 1.* & cum Franco *in c. Dudum cit. n. 9.* Nicol. Everardus *Vol. 2. Consil. 19. n. 61.* unum sufficere velint, propter *textus, can. Sine exceptione, & præsertim §. Quia etiam cit.* Tractatum quidem, etiam solennem & diligentem, sed in numero singulari exigentes. Etsi, præsertim cum Alienatio majoris momenti, ejusque utilitas non ita evidens est, plures præmitti, operæ pretium, consultumque sit, & quarundam Religionum Statutis aut moribus receptum; sic enim in PP. Benedictinorum Congregatione S. Justinæ Castrensi, cum ejusmodi rei Alienatio decernenda est, duorum dierum interpolatorum Tractatus præmittendos, cum *cit. Redoano n. 29.* tradit Ascarius Tamburinus *De Jure Abbatum tom. 3. disp. 13. q. 4. n. 5.*

Contra in Ecclesia, quæ Collegiata aut Conventualis non est, hoc ipso, quòd cum Capitulo, quo caret, tractari non possit, ejus Res etiam immobilis, exigente necessitatis, aut evidens utilitatis causâ suadente, alienari à Rectore solo potest, accedente autoritate Episcopali; quia in hujusmodi Ecclesia Rector solus idem potest, quod Prælatum cum Capitulo in Collegiata seu Conventuali, ut cum Imola *in c. 1. De Dolo n. 7.* & Panormit. *ibid. n. 28.* Regulæ instar tradit idem Redoanus *n. 46.*

ARTICULUS III.

De Capituli Consensu.

SUMMARIUM.

1. Ad Alienationem Immobilium necessarius Pralato est Capituli Consensus:
2. Nec sufficit Consilium.
3. Illius differentia ab isto:
4. Et istius Specialis utilitas.
5. Necessarius tamen non est consensus omnium Capitularium:
6. Sed partis duntaxat majoris, & sanioris.
7. Quæ Major?
8. Quæ Sanior pars sit?
9. In dubio major, etiam Sanior censetur.
10. Minor & Sanior à majori decreta impedire:
11. Nomine Capituli statuere nihil potest;
12. Nisi casu Electionis concurrentis cum Postulatione:
13. Quo ad illam sufficit pars tertia major.
14. Alienatio perpetua exigat Consensum Capituli Expressum:
15. Ad temporalem sufficit Tacitus.
16. Nova exposito c. Continēbatur 2. De iis, quæ fiunt à Prælat.
17. Prælatus eligendus à Capitulo congregato:
18. Itaque præstandus Consensus in Alienationem,
19. Et alios actus præjudiciosos.
20. Ad Alienationem rei Ecclesiæ inferioris non exigitur Consensus Capituli Cathedralis:
21. Nisi illam faciat Episcopus.
22. Expositio c. Cùm Apostolica 7. eodem Tit.
23. Vis Exceptionis.

Altera Solennitas est Consensus Capituli ad Rei Ecclesiæ immobilis Alienationem requisitus *can. Sine exceptione* 12. q. 2. c. 1. c. Cùm Nos 3. & c. Tua 8. De iis, quæ fiunt à Prælat. ibi,

ibi, *Cum totius Cleri consensu*. Non consilio tantum: cuiusmodi 2
ad tractanda alia Ecclesie negotia v. g. ad condenda Statuta,
ad Institutiones Destitutionesque &c. sufficit per *text. c. Novit.*
4. & *c. Quando. 5. eodem Tit.*

Sed, inquit, quid interest, an exigatur Consilium vel 3
Consensus? Nihil interesse, & quoties Prælati cum Capituli
Consilio procedere debet, istius consilio standum vult Zach.
Pasqualigus *Controvers. inter Episc. & Regular. p. 1. quest. 22.*
n. 408. cā motu ratione; quod, si hoc non sequatur, non pro-
cedat cum, sed contra ejus Consilium. Et hoc, si sequi ille non
teneretur, frustra exigeretur. Sed reverà latum inter illa est
discrimen; nam, qui aliquid facere debet cum alterius Con-
sensu, hunc requirere, & sequi: qui verò præcisè cum Consilio:
debet hoc quidem exquirere, & debito tempore expectare,
sequi autem necessariò non tenetur. *Gloss. in c. Cum Consue-*
tudinis V. Consensu, De Consuet. Panormit. in c. Quando cit. n. 7.
& uterque Gonzalez, Hieronymus quidem in *Reg. 8. Cancell.*
Gloss. 46. n. 61. Emmanuel verò in *c. Cum in veteri 52. De E-*
lectione n. 4. propter *text. c. cit. c. Cum olim 7. De Arbitris & c. 1.*
De Capell. Monach. ex quorum decisione Prior in Ecclesie Recto-
ris Electione, Familix: & Episcopus in Capellani Institutione
Monachorum Consilium habere tenetur: quo tamen habito,
iste Capellanum, & ille præsertim Rectorem instituere liberè
potest.

Neque sic Capituli Consilium frustra exigitur; quia hoc 4
præcisè adhibere iussus, etsi sequi non teneatur, consulentium
tamen rationibus instruitur, & ad negotium cautiùs, utiliùs,
& cum majori efficacia suscipiendum, gerendumque moveri
potest; cum dubium non sit, omnia, quæ consilio geruntur,
effectu & firmitate niti *l. Dubium 3. C. De Repud. & ex Regum*
Sapientissimi sententia Multa salus sit, ubi multa consilia, Proverb.
cap. 11. V. 14. & propterea providentissimi quique alieno con-
silio uti soleant, præsertim in rebus arduis, exemplo Papæ ejus-

modi res, & negotia cum Fratrum suorum, Cardinalium inquam, Consilio pertractantis. *c. Ad Apostolica. De sent. & re jud. in 6. & Clement. unic. §. Ceterum. De jurejurando*, et si, quod isti suaserint, tanquam Suprema in terris, & humanâ Legge quacunque superior Potestas, sequi non teneatur, Menochius *De Prasumpt. lib. 6. Prasumpt. 34. n. 24.* & Gonzalez. *Gloss. cit. n. 62.*

- 5 Porro, ut ad Alienationem, vel quemcunque alium actum, requisitus à SS. Canonibus Capituli consensus legitimus sit, requiritur imprimis, & regulariter sufficit, ut ad prævium ei Tractatum vocati sint omnes Capitulares in loco præsentés, juxta dicta *art. 2. n. 6* Deinde, ut istorum vocatorum duæ saltem partes compareant, & negotio tractando interfint, ut *ibidem* dictum *n. 9.* Denique, ut in Alienationis, vel alium actum cum Consensu Capituli gerendum consentiat major & sanior pars Capitularium legitimè convocatorum, per *text. c. Cum in cunctis 1. De ijs, que sunt à majori & c. l. Quod major. 19. ff. Ad municipalem. Panormit. in c. 1. cit. n. 1. & 16.* & Fagnanus *ibid. n. 5.* quia, quod major & sanior illorum pars facit, totum Capitulum fecisse censetur, ita, ut regulariter in omni dispositione Univerſitatis, & Tractatibus Capituli, in Promulgatione Sententiarum ac Statutorum, in omni Electione Prælatorum, & Canonicorum, in Remissione facienda Debitoribus &c. stetur suffragiis partis majoris, & ab hac gesta de Jure subsistant, ut post Goffredum *in Rubr. De ijs, que à majori & c. & inc. Cum in cunctis 1. ibid.* tradunt Panormit. *n. 1. & 6.* Barbosa *n. 1.* & Fagnanus *n. 5.*
- 7 Major autem pars dicitur, quæ numero Personarum excedit, habito respectu ad totum Collegium seu Capitulum v. g. cum ex duodecim Capitularibus octo, vel septem consentiunt, quatuor autem vel quinque dissentiunt: non autem habito respectu ad alias partes in diversa abeuntes; sic enim in Tractatu de Prædij Alienatione, si ex duodecim Canonicis in ejus
- Ven-

Venditionem quatuor: in Locationem quinque, & tres in Retentionem consentiant: & in Electione ex totidem Suffragatoribus sex in Titium, quatuor in Caium, & duo in Sempronium conspirent; Capituli pars major in prædij Locationem, aut Electionem Titij consentire non censetur, quantumvis plures in Locationem & Titium, quàm alium actum vel personam conspirârint *c. Ecclesia 48. De Electione & c. Si cui 26. eodem Tit. in 6.* quia quinque vel sex non sunt pars major respectu totius Capituli ex duodecim Capitularibus constituti, Panormit *in c. Ecclesia cit. n. 4. & ibi Barbosa n. 5. & Laiman n. 1.*

Sanior autem pars est, quæ Dignitate, Integritate & Zelo honoris Divini, & publici boni prævalet, lidem & Fagnanus *in c. Cum in cunctis cit. n. 3.* ac proinde pars Major simul & Sanior erit, quæ suffragantium tam Authoritate & integritate, quàm numero alias excedit.

Duo tamen hîc notanda sunt. Primum: in dubio partem, quæ major est numero, censeri etiam Saniorem, præsertim si duæ partes Capituli consentiant: nisi partem numero majorem corruptam, aut alio affectu sinistro transversum agi manifestè appareat, vel legitime probetur; quia regulariter præsumitur pro pluralitate, nisi contrarium probetur, ut arg. *c. Prudentiam 21. De Officio deleg. & c. 1. cit.* docent ijdem Panormit. *in c. Ecclesia cit. n. 4. & Fagnanus in c. 1. cit. n. 4.* Imò in quibusdam Monasterijs aliisque Collegijs & Congregationibus Regularium, cùm suffragia feruntur, solummodo attendi solet ad majorem numerum Suffragatorum: & quod hi sentiunt, sicut à majori, ita etiam à Saniori eius parte iudicari censetur, propter notam integritatem & Zelum, quem nullo pravo affectu corruptum habere præsumuntur, Laiman *in c. Ecclesia 10 57. De Elect. n. 4.* Alterum est, quòd, etsi minor pars, quando ob gravitatem Virorum, & allata ab his momenta rationum Sanior est, aliquando impedire possit Decretum Majoris: illius tamen consensu decerni nihil possit nomine totius Capituli, nisi
pars

pars numero maior decernendi, sive suffragandi potestate privata esset, Panormit *in c. Cum in cunctis cit. n. 11.* & Pirrhing *Method. Jur. Canon. lib. 3. Tit. 11. n. 3.*

Ab hac tamen quasi-Regula excipiendus est famigeratus
 12 casus Electionis ad Prælaturam cum Postulatione concurrentis: quo, ut huic illa prævaleat, sufficit, quod in Personam eligendam Capitularium legi imè congregatorum plus quam tertia pars conspirarit; etsi, ut in hujusmodi discordi concursu
 13 Postulatio admittatur, omnino necessarium sit, ut in Personam, per ejus viam ad Prælaturam evchendam, duarum partium suffragia sint collata, ut ex Innocentij III. Rescripto *c. Scriptum 40. De Electione* relato constat & ibi cum Innocentio IV. P. M. & SS. Canonum Interprete celeberrimo §. *Habes hic notabile*, Hostiensi §. *Sed etsi*. Panormit. *n. 13.* & 14. Zabarella §. *Quod si*, S. R. E. Cardinalibus, notarunt Interpp. ceteri: quorum doctrinam reliqui alicujus nominis, & notæ DD. unanimi consensu omnes sunt amplexi. Ratio est; quod Electio Juris per Confirmationem à Superiore roborando & stabiliendo *c. Scriptum cit. & c. Postquam 7. eodem Tit.* Postulatio verò Gratiæ Admissionis, ab illo dispensativè obtinendæ, innitatur per expressos *text. c. Bona 3. in fine*, & *c. Postulationem 5. De Postulat. Pralat.* & ibi notata à Panormit. *n. 2.* Barbofa *n. 2.* Laiman. *n. 1.* & al. js. Cujus ulterior, & fundamentalis ratio Exceptionis est; quod, cum ex una, Postulatio via, ad Prælaturas Ecclesiasticas extraordinaria, & minùs favorabilis; quia ad has per ipsam vocantur personæ à Jure impeditæ: Electio autem Ordinaria, & quod non nisi in personas de Jure habiles cadere possit, favorabilis sit: ex altera verò parte viam Ordinariam, & favorabilem, expeditam planamque, præ Extraordinaria, & odiosa, vel saltem minùs favorabili reddi, æquitas & ratio dictarit, laudatus Papa Innocentius III. & à quo ejus rescriptum Juris Ecclesiastici Corpori insertum est, Gregorius IX. meritò requisiverint, ut quantumvis, sicut ad ceteros Actus Capitulares,

lares, ita etiam ad Electionem, & ipsam etiam Postulationem, quando cum alia Postulatione concurrat, majoris partis consensus requireretur & sufficeret: ad Electionem tamen eum Postulatione concurrentem suffragiorum tertia parte major numerus sufficeret: ad istam verò requirerentur duæ partes tertiæ, in quibus vis Capitularis tota consistere censeretur per *text. l. Nulli. 3. l. Planè 4. ff. Quod cujusque Universit. nom & c. Cum nobis 19. De Electione* secundum integram ejus lectionem ab Emmanuele Gonzalez relatam. Circa hæcenus dicta

Dubium est primò, an ad Alienationem requiratur Capituli consensus Expressus, vel sufficiat Tacitus? quod oritur ex *c. Irrita 1. & c. Continebatur 2. De ijs, que sunt à Prælat. quorum* textuum priore irrita pronuntiatur Episcoporum Donatio, vel Venditio, vel Commutatio rei Ecclesiæ, facta absque Clericorum *Collaudatione & Subscriptione*: quod sine Expresso consensu fieri nequit; ut de Subscriptione per se: de Collaudatione ex eo constat, quod *Collaudare* sit simul laudare & approbare, quod voce, nutu, vel alio signo externo fieri solet, ut probè advertunt Gonzalez *in c. Continebatur cit. n. 2. & Donatus Præx. Regul. Tom. 2. tract. 14. q. 12. n. 3.* posteriore autem firmum robur adstruitur Concessioni Decimæ, ab Abbatisa factæ, *Conventu sciente, & non contradicente*; ac proinde cum consensu solum Tacito: qui per scientiam Capituli, ejusque non contradicentis taciturnitatem habetur, secundum receptam Gloss. *ibi v. Non contradicente*, & alios DD. passim. Quos textus, ut ab Antinomix vitio absolvant Interpp. non pauci, priorem de magnæ aut saltem notabilis: posteriorem verò de modicæ rei *arg. can. Terrulas 12. q. 2. eum Innocentio & Rebuffo De Decimis q. 9. n. 34.* Alij verò plerique illum de Perpetua, ut sunt, Donatio, Venditio, Commutatio: hunc verò de Temporalibus solum Concessione, ut est Locatio, intelligunt: & ad illam Expressum requiri, ad hanc verò Tacitum Capituli consensum sufficere volunt cum Redoano *De Reb. Eccles. non alien. Rubr. 25.*

n. 17. & Feliciano Oliva De Foro Eccles. p. 2. quest. 43. n. 45. pro sua sententia generalem Lusitanix praxin allegante. Rationem reddit Vivianus in Ration. c. Continebatur cit. quòd in Concessione solùm Temporali minus periculum læsionis sit, quàm in Perpetua Alienatione Gloss. in c. 1. V. Perpetuis, De reb. Eccles. alien. in 6. & propterea cautelâ majori in hâc, quàm illâ sit opus c. Ubi periculum 3. De Elect. in 6. & l. 1. §. Sed & si quis 9. ff. De Carbon. edicto.

16 Nobis, etsi posterior hæc conciliatio, & doctrina probeatur, non tamen displicet expositio Carvalli in c. Raynutius, De Testament. p. 2. n. 333. existimantis, posteriore, sive c. Continebatur cit. textu, nomine Decima non immediatè ipsum Jus, aut fructus Decimales, sed Beneficium Ecclesiasticum venire: & de M. Huberti Clerici ad illud Præsentatione, non alicujus Juris aut fructuum temporali Concessione agi; quia, ut ex integra ejus lectione, à Gonzalez relata, constat, ejus Decimæ à Monasterij Exempti Abbatissa facta Concessio, ab Episcopo est confirmata, in eaque M. Hubertus Investituram per Clavem, & Librum accepit: quibus Beneficij Ecclesiastici Canonica Institutio, & in ejus possessionem Missio significatur, non Approbatio sive consensus in Alienationem; quia, ut art. 5. statuetur, Exemptis ad Rerum immobilium Alienationem Episcopali consensu non est opus. Contrà ad Beneficium Ecclesiasticum Diocesenum etiam ab illis præsentato, necessaria est Institutio Episcopi c. Ex frequentibus 3. De Instit. Panormit. ibi n. 3. & Barbosa n. 1. & 2. & Investitura sive Missio in possessionem: quæ Archidiacono committi solet c. Cum satis 4. c. Adhac. 7. §. fin. De Officio Archidiac. & Barbosa ibi n. 6.

17 Dubium secundò est, an exigatur consensus Capituli Congregati? singulariter, & seorsim præstitum sufficere cum Sylvestro V. Alienatio, quest. 5. volunt Vasquez De Redit. Eccles. cap. 2. §. 2. dub. 12. n. 42. & Tamburinus De jure Abbat. Tom. 3. disp. 13. q. 4. n. 7. cum, quòd à Capitularibus etiam seorsim præsti-

præstitus verè sit consensus Capituli: tum verò; quòd Congregatorum consensus, specialis & proprius sit Electionibus.

Sed melius Capituli, cum potest, congregati Consensum, cum Hostiensi aliisque *allegat. exigunt cit. Redoanus, Rubr. 18* 28. *Casu 5. n. 11. Palao Tract. 12. Diss. unic. p. 14. n. 9. & Donatus Tract. cit. quest. 13. n. 2.* partim; quòd SS. Canones ad Immobiliùm Alienationes exigant consensum Conventûs aut Capituli *c. Continebatur. cit. c. Cum Nos. 3. De ijs, qua à Prælat. Clement. 1. & 2. De Reb. Eccles. alien. & c. 1. eodem Tit. in 6.* consensus autem Capituli vel Conventûs propriè tantùm dicatur, qui est Capitularium congregatorum sive Collegialis: partim verò; quòd *c. Irrita cit. exigatur, ut fiat cum Clericorum sive Canonicorum Collaudatione*, hoc est, ut simul laudent, & approbent Alienationem, de qua agitur in Tractatu Capituli; Collaudatio enim est voluntas, sive sensus multorum, ad quos pertinet, simul junctus, ut ait Redoanus *Rubr. 30. n. 6.* Nec immeritò; quia, si seorsim præstitus sufficeret, minùs liber, providus & utilis esset Ecclesiæ: cujus rerum dilapidatio multò expeditior esset Prælati, Consensum in favorem suum & Ecclesiæ vel Monasterij præjudicium faciliùs obtenturis, si ad ipsa pertinentium rerum Alienatio, suffragijs seorsim rogatis, posset decerni.

Neque, ut Sylvester ait, verum est, quòd Consensus Congregatorum proprius sit Electionibus; eum enim alijs Vniversitatum & Collegiorum actibus, præsertim, quibus iis præjudicari potest, communem esse patet *ex c. cit. l. Nominaciones 27. C. De Appellat. & inde in Decretum translato §. Nominaciones, can. Ei, qui 2. q. 6.* Nominaciones & c. citra Concilium publicum factas, tanquam invalidas reiiciente: & *c. Cum accessissent 8. princip. ibi Tanquam quòd de communi assensu Canonicorum fuerit constitutum, & §. Quocirca, ibi, Si constiterit Canonicos communiter statuisse, de Constitut.*

Dubium tertio est, an Consensus Capituli necessarius sit

Episcopo alienaturo res Immobiles Ecclesiæ Cathedrali inferioris? Non quidem Collegiatae vel Conventualis; hujus enim proprio Prælati Collegij tantum sui, & auctoritate Episcopali, non etiam Capitularium Ecclesiæ Cathedralis consensu opus esse, ex communi sensu tradunt Rodriquez *22. Regul. Tom. 1. quest. 27. art. 1.* & Oliva *cit. quest. 43. n. 62.* Sed Collegium non habentis: de qua dubitandi ratio pro una, oritur ex generalitate *can. Sine exceptione cit. c. 1. & seqq. De ijs, qua à Prælat. &c.* hi enim textus, cum ad Prælati Alienationem Capituli consensum exigant indistinctè, generaliter & indistinctè videntur accipiendi *arg. can. Consulvisti 2. q. 5. & Summa l. In pretio, ff. De Publ. in rem act.* pro altera verò parte ex *c. Cum Apostolica 7. eodem Tit.* ad faciendam ab Episcopo Decimarum, ad unam Ecclesiam spectantium, translationem in aliam, Capituli consensu non requisito, permittente. Propter quas rationes, in propositæ Dubitationis resolutione non parùm variant DD. Nos eam expediendam censemus ope Distinctionis; vel enim hujusmodi Ecclesiæ Rem immobilem, ut ferè solet, alienat proprius ipsius Rector aut Beneficiatus, vel, ut ex causa aliquando potest, Episcopus? Si prius, Rectori quidem & Beneficiato auctoritate Episcopi, tanquam Superioris sui immediati, non tamen huic Capituli sui Cathedralis consensu est opus. Si posteriorius, & Alienationis author est ipse Episcopus: Capituli sui Cathedralis consensum ipsi necessarium esse, desumitur ex *Clement. 2. De Reb. Eccles. alien. & cum Panormit. in c. Irrita cit. n. 5.* docent Covarruvias *lib. 2. Var. cap. 17. n. 1.* Garcias *De Benef. p. 12. cap. 3. n. 11.* Molina *Tract. 2. de 1. & 1. diss. 468. n. 14.* & Oliva *cit. n. 62.* Ratio utriusque est; quia *vi text. cit. uti & c. 1. De Reb. Eccles. alien. in 6.* Capituli Consensus necessarius tantum est Prælati alienanti: qualis Episcopus solum est casu posteriore.

22 Neque posteriori istius Resolutionis parti obstat text. *c. Cum Apostolica cit.* quia ejus casus specialis, & exceptio est à Regula,

Regula, ad Alienationem Prælati consensum Capituli generaliter exigente, eximens casum, quo Laicus Decimas ab Episcopo vel inferiore Prælato jam ante Concilium Lateranense in Feudum acceptas, cum, ut suæ restituat, induci non potest, alteri Ecclesiæ donat; hujusmodi enim illarum donationem, sive ab una Ecclesia in alteram translationem, cum solius Episcopi Diocesani consensu factam Innocentius III. ratam omnino esse voluit *c. cit.* quod Ecclesiæ saltem Vniversali utiliùs, convenientiùs, honestiùsque sit, hujusmodi Decimas ab alia Ecclesia possideri, quàm stare, & perseverare in manibus Laicorum *c. Prohibemus 19. De Decimis*, præsertim eas detinentium injustè; cum particulares Ecclesiæ omnes membra sint Vniversalis *can. Novatianus 1. q. 5.* & propterea Ecclesia ad quam ejusmodi Decimæ de Jure pertinebant, ut alteri conferantur, facillè acquiescere debeat & præsumatur, Panormit *in cit. c. n. 10* Barbosa *ibid. n. 6.* & Suarez *de Relig. Tom. 6. lib. 1. cap. 26. n. 13.* ubi ait ex pia dispensatione Ecclesiæ fieri, ut hoc casu aliter, quàm de rigore Juris deberet, restitutio Decimarum à Laicis fiat. Ex speciali autem hac dispositione tantùm abest, ut aliquid inferatur contra Capitularis consensus necessitatem, ut hæc ex illa, tanquam exceptione, potiùs stabiliatur; quia Exceptionis ea natura est, ut Regulam in contrarium potiùs firmet quàm infringat, *l. Quæsitum 12. §. 43. ff. De fundo instructo.* Gloss. *in Rubr. De R. J. in 6. Decius ibid. n. 20.* & *inc. Cùm dilecta, De Confirmat. utili, n. 6. & 7.* & Everardus *Legal. argum. loco ab Exceptione n. 1.*

ARTICULUS IV.

De Ejusdem Subscriptione.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|---|
| 1. Ista exigitur ad Donationem, Venditionem, Permutationem: | 3. Imò ejus in Donatione &c. necessitatem passim sustulit Consuetudo: |
| 2. Non alias Alienationes. | 4. Cui |

L 3

4. Cui

- | | |
|--|--|
| 4. Cui aliqui nullam: | Jure validam aliqui: |
| 5. Alij omnes Solemnitates: | 10. Alij melius nullam censent. |
| 6. Nos non quidem omnes: | 11. Capituli parti majori in Ecclesie damnum subscribere nequit minor. |
| 7. Quamcunque tamen in particulari: | |
| 8. Et Subscriptionem etiam, tollendi, vim tribuimus. | 12. Quin incurrat pœnas c. Si quis 6. de Reb. Eccles. alien. |
| 9. Sine ista Donationem &c. de | |

1 **T**ertia Solennitas est Subscriptio ad rei Ecclesie Immobilis Donationem saltem, Venditionem & Permutationem requisita *can. Sine exceptione 12. q. 2. & c. Tua 8. §. Irrita, De iis, qua à Pralat.*

2 Eandem generaliter ad quoscunque Actus & Contractus, quibus ejusmodi res Immobiles aut mobiles Pretiosæ alienantur, exigere non nemo videtur propter paritatem rationis. Sed reverà paritas non est; quia Donatio, Venditio, & Permutatio sunt magis propriè dictæ Alienationes quàm alij Contractus; cùm per illas non tantùm jus aliquod, aut solùm utile, sed directum etiam rerum Dominium in alterum transferatur, aut saltem de eo transferendo agatur *l. 1. C. De Fundo dotali l. Alienatum 67. ff. De V. S.* Neque, si paritas esset, hoc ipso idem Juris in ceteris, quod in relatis alienandi modis foret; cùm Regulæ instar receptum sit, Subscriptionem & Scripturam ad Contractus vel actus substantiam non exigi præterquam in casibus Jure expressis *l. Pactum 17. C. De Panormitinc. Irrita cit. n. 4. Redoanus De Reb. Eccles. n. alien. Rubrica 29. n. 1. & Molina Tract. 2. De J. & J. disp. 468 n. 7.*

3 Quin de Consuetudine etiam in Donatione, Venditione & Permutatione hodie passim, non ab ipsis Capitularibus in ejusmodi Contractum consentientibus, sed manu Notarij publici de Tractu & Consensu majoris partis Capituli testificantis, Subscriptionem fieri, cum *citt. aliisque DD. testantur Bonacina disp. 3. De Contract. quest. 8. p. 4 n. 7. & Ascan. Tamburiu. De Jure Abbatum Tom. 3. disp. 13. p. 4. n. 10.*

Hanc

Hanc de Consuetudine doctrinam in dubium & contro-
 versiam vocat noster Everardus, illi, quancunque temporis 4
 sit, Subscriptionis necessitatem & ceteras Ecclesiasticæ Aliena-
 tionis Solennitates tollendi minuendique vim negans, etsi eas
 Consuetudine augeri posse concedat *Vol. 2. Consil. 19. n. 62. &*
75. Ratio, quâ movetur, unica est; quòd Subscriptionis, & reli-
 quæ Solennitates rationabiles ob causas à Jure sint introductæ:
 & illam præsertim non omitti, Ecclesiæ multùm interfit, ut in
 Alienationem consentiens, eique in casu non licito subscribens
 puniri queat juxta *text. can. Non liceat 12. q. 2. & c. Si quis 6.*
De Reb. Eccles. alien.

Alij contrà Consuetudini tantam adstruunt vim, ut Ec-
 clesiasticæ Alienationis Solennitates non solùm minuere, sed 1
 cum Subscriptione ceteras omnes abrogare possit, ex ratione;
 quòd Originem suam & necessitatem omnes debeant Juri Hu-
 mano, Imperiali & Ecclesiastico: quorum utrique Consuetu-
 dine derogari posse, constans est sensus DD. patètque ex *l. De*
quibus 32. in fine ff. De LL. & c. fin. De Consuet.

Nobis inter has extremè oppositas sententias placet media: 6
 quæ Consuetudini, sicut propter rationabilitatis defectum om-
 nes Solennitates abrogandi, & Prælati res ac bona etiam Im-
 mobilia, & Pretiosa alienandi omnino liberam, & absolutam
 facultatem tribuendi vim negat, ita vim Subscriptionis, & cu-
 juscunque alterius particularis Solennitatis necessitatem tollen-
 di, & novas introducendi augendique, ei haud gravatè con-
 cedit cum Panormit. *in c. Nulli §. De Reb. Eccles. alien. n. 6. &*
Redoano Rubrica cit. n. 10.

Prioris partis ratio est; quia ex una, Consuetudo quæcun-
 que, ut rationabilis sit, oportet *c. fin cit* cum sit Lex non scripta,
 & pro Lege suscipiatur *can. Consuetudo dist. 1. § Constat. Instit.*
De I. N. G. & C. Lex autem rationi congrua esse debet. can.
Lex erit, dist. 4. Ex altera verò parte Consuetudo Prælati aliis-
 que Administratoribus rerum Ecclesiasticarum, omnino libe-
 ram

ram & ab omni Solennitate absolutam, Alienationem concedens, hoc ipso, quòd gravis, & damnosa sit Ecclesiis, earum Res & Jura dilapidationis periculo obnoxia faciendo, rationalis non est per *text. c. 1. de Consuet. Glosam ibi V. Consuetudines. Panormit. n. 1. aliòsque Interpp. & DD.*

7 Posterioris autem; quia Subscriptio & reliquæ Solennitates, ut omnes facilè concedunt, creaturæ sunt Juris Humani: istiùsque Conditoris, & Successorum voluntate moraliter perseverante conservantur: sicut augeri, ita etiam minui ac tolli singulæ possunt, nõ obstante rationalitate Legis, quæ sunt introductæ; quia nõ raro ea, quæ rationaliter & consultò ordinata sunt, postmodùm consultiùs rationaliùsque revocantur per *text. c. Alma 24. princip. De sent. Excommunicat. in 6.* quod circa quamcunque solennitatem eveniret, si Ecclesiarum & Monasteriorum indemnitati alià ratione aut Alienationis Solennitate præscripta, consuleretur. Cur id fieri nequeat per viam Consuetudinis? quæ, si à Jure reprobata non sit, Legibus derogandi, eisque præscriptas Solennitates, & pœnas abrogandi, vim non minorem obtinet, quàm ipsæ Leges: & pro rationali habentur, si quod eâ receptum aut sublatum est, Legali auctoritate tolli potuit vel introduci, juxta doctrinam Sylvestri *V. Consuetudo n. 2. in fine*, à Rocho de Curte *in Enarrat. c. Cùm tanto de Consuet. sect. 2. n. 15.* non obscure, & clarè satis receptam à Soto *lib. 1. de Justit. quest. 7. art. 2. V. Quàm verò & Barbosa in c. cit. n. 11.*

3 Neque Subscriptionis, etsi ad præstiti consensûs in non licito, & in licito casu legitime celebrati contractûs probationem magram hodie esse agnoscamus, tanta tamen necessitas esse nobis apparet, ut ejus abrogatæ defectum, alia ratione, eique succedanea nova Solennitate suppleri, non posse existimemus; postquam suppletum vidimus defectum consensûs duorum vel trium Comprovincialium aut Vicinorum Episcoporum, qui Ecclesiæ suæ res ex Necessitatis vel Utilitatis causa alienaturæ

alienaturo Episcopo necessarius quondam fuit, per *text. can. Hujusmodi §. Quòd si 10. q. 2. & tradita à Gonzalez in c. 1. De ijs qua à Pralat. n. 6.*

Porrò, ubi Consuetudo, quoad propositam Capituli Subscriptionem, Juri scripto non derogavit, an ea ad legitimè præstiti ab illo consensùs probationem duntaxat, vel ipsius Alienationis valorem & substantiam exigatur, dubium, & ratio dubitandi est; quòd substantia Contractùs regulariter habeatur per legitimum consensum contrahentium, non per Scripturam: & ex parte consensùs Prælati, ut legitimus sit, plùs non exigatur, quàm ut à majori parte Capituli, & Superiore approbetur: hisque eum ipsius, & ejus, in quem alienatio fit, consensu concurrentibus, contractus teneat ante omnem Descriptionem & Subscriptionem. Atque ita cum Baldo *in Auth. Hoc jus C. De SS. Eccles. Bellamera in can. Sine exceptione cit. §. Tertio queritur, & alijs sentiunt Redoanus Rubr. 30. casu 6. n. 12. & Wagnereck in Exegesi c. Irrita cit. allegans Panormit. cit. n. 4.*

Sed malè; quia Interpres iste, etiam ab Innocentio *in c. cit. 10* traditam Regulam de Scriptura, non nisi in casibus Jure expressis, necessariam approbet: ejusque in Ecclesiasticis Alienationibus necessitatem in pluribus locis Consuetudine sublatam asserat: ab ista tamen abstrahendo & de Jure, non minorem Subscriptionis quàm consensùs Capitularis necessitatem agnoscere videtur. Nec immeritò; cùm eam ad trium relatarum strictè acceptæ Alienationis specierum valorem exigi, disertè exprimat *c. Irrita cit.* cujus textu relatum Synodi apud Valentiam sub Papa Damaso anno 374. jam celebratæ Decretum ita habet: *Irrita erit Episcoporum Donatio vel Venditio vel Commutatio rei Ecclesiastica absque Collaudatione, & Subscriptione Clericorum:* cui consonant Concilium Carthag. IV. *can. 32. Leo Papa can. Sine exceptione cit. & Innocentius III. c. Tua nuper. 8. De ijs qua à Pralat.* ejusmodi rei Venditionem & Commutationem, eorundem Subscriptionem non mutam, irritam pronuntiantes; ut proinde

non malè Pirrhing *Method. Jur. Canon. lib. 3. Tit. 10. n. 3.* Casibus specialibus, ad valorem actûs Scripturam de Jure exigentibus, accenseat tres propositos modos strictè acceptæ Alienationis.

- ¶ 1 Magni etiam in praxi usûs & momenti dubium est, utrùm Alienationi, à Prælato cum majoris partis Capituli consensu decretæ, subscribere teneantur, qui consensu suo illam non approbârunt. In quo, si plurium consensu decretam Alienationem rationabilem justâque, & Ecclesiæ utilem agnoscant: in eam consentientibus accedere, & subscribere minorem partem teneri, ex communi DD. sensu volunt Peyrin. *Tom. 1. De Privileg. Constit. 9. Julij 11. n. 8.* & Donatus *Prax. Regul. Tom. 1. p. 2. tract. 14. q. 14. in fine.* Si verò Alienatio Ecclesiæ damnosa esse videatur: & saltem, si Ecclesiæ damnum ac præjudicium evidens sit, quin malè alienantium pœnas incurrat, majoris partis concluso subscribere non potest juxta *c. Si quis 6. De Reb. Eccles. alien.* imò appellare, ut aliqui: vel saltem, ut vult Panormit. *in c. Contrinebatur 2. De ijs que à Pralat. n. 9.* contradicere tenetur juxta *c. Si quis cit.* Cujus ratio esse potest; quòd in iis, quæ concernunt factum Vniuersitatis vel Collegij, regulariter quilibet, qui de isto est, votum suum exprimere ex debito Officij teneatur; ne, si taceat, habeatur pro consentiente, secundùm Regulam 43. *in 6. Innocentius in c. 1. eodem Tit. n. 4. Panormit. ibid. n. 13.* & Donatus *tract. cit. q. 17.*

ARTICULUS V.

De Consensu Superioris.

SUMMARIUM.

1. Necessarius hic Immobilia alienatur.
2. Superior non-Exemptorum est Episcopus:
3. Sede

- | | |
|--|--|
| 3. Sede Vacante Capitulum: | 12. Exemptis necessarius est consensus Papa: |
| 4. Non Vicarius, sine mandato speciali: | 13. Nisi subsint Generali. |
| 5. Neque Episcopus loci, ubi res sita: | 14. Et Huic Consensus Apostolicus, seclusis Privilegijs: |
| 6. Sed alienantis. | 15. Quibus hodie est derogatum. |
| 7. Differentia inter Decretum & Consensum: | 16. Patroni consensus requirendus, ex Honestate: |
| 8. Et Alienationem Ecclesie & Minoris. | 17. Non Necessitate, |
| 9. Expeditio c. Ut super 8. de Reb. Eccles. alien. | 18. Saltem Laici: |
| 10. Episcopus alienat sine Archiepiscopi, | 19. Imò etiam Ecclesiasticis. |
| 11. Et Comprovincialium consensu. | 20. Nisi reservatus sit in Fundatione: |
| | 21. Vel bona Ecclesia in Feudum data: |
| | 22. Vel aliud exigat jus speciale. |

Quarta Solennitas est Consensus Superioris, ad earundem rerum Alienationem, sicut à Secularium: ita etiam à Regularium Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælati faciendam, requisitus *Auth. & can. Hoc Jus porrectum C. De SS. Eccles. & 10. q. 2. can. Abbatibus, can. Placuit. 12. q. 2. & can. in Venditionibus 17. q. 4.* quorum textuum dispositioni non derogavit Pelagius Papa, de rebus Monasterij disponendi potestatem totam Abbatibus adstruens *can. Nullam 18. q. 2.* quia textu isto non Episcopi, sed Monachorum potestati est derogatum: & Abbati, sicut illorum secundum Regulam gubernatio ita rerum Monasterij (extra casum Alienationis) omnino libera & ab ipsis independens administratio stabilita, Turreremata in *can. cit.* & Tamburinus *De Jure Abbat. Tom. 3. disp. 13. q. 5. n. 1.*

Porro Superior, respectu Ecclesiarum, & Monasteriorum non-Exemptorum per *text. cit.* est Episcopus vel Archi-Episcopus

pus in propria sua Diœcesi, vel alius Prælatus Jurisdictionem quasi-Episcopalem obtinens in Territorium, & Populum pleno Jure sibi subiectum, Gloss. *in Clement. l. V. Proprijs, De Reb. Eccles. alien.* & Sede Episcopali vacante ejus Capitulum, Gloss. *in Clement. Unic. V. Conferantur, De Rerum permutat.* quia Alienationi auctoritatem præstare actus est, non Ordinis, sed Jurisdictionis Episcopalis: quæ Sede vacante penes Capitulum residet, per text. *c. His quæ, c. Cùm Olim, De Maiorit. & Obed.* ubi Panormit. *n. 2.* & Franc. de Pauinis *de Off. & potest. Capit. Sede vac. p. 1. quest. 10. n. 12.*

4 Non etiam Officialis, sive Episcopi, & Sede Vacante Capituli Vicarius generalis; quia Decreti sive auctoritatis in Alienationibus & Transactionibus rerum Ecclesiasticarum interpositio exigit mandatum speciale, Sbrozzius *De Vicar. lib. 2. quest. 118. n. 2.* & Pellegrin. *prax. Vicar. p. 1. sect. & subs. 2. n. 55.* sine quo ejusmodi res, etiam in casibus Episcopo permissis, Vicarius nequit alienare, Sbrozz. *ibid.* & Barbosa, *De Off. & potest. Episc. alleg. 54. n. 106.*

5 An autem Episcopi Diœcesis, in qua Ecclesia vel Monasterium, de cujus rei Immobilis Alienatione agitur: vel potius ejus, in qua res sita est, auctoritas exigatur, dubium & dissensio non levis est inter DD. Vtriusque enim auctoritatem desiderat Bald. *in l. Si pradium 16. C. de Præd. minor.* quod utriusque Episcopi intersit. Vtriuslibet autem interventum sufficere vult Bartolus *in l. cit.* propter text. *l. Si pradium cit. & l. Magis puto §. 12. ff. De rebus illorum, qui sub Tutela:* quarum LL. utraq; ad Alienationem rei Immobilis alicujus minoris (ac proinde Ecclesiæ ejus jure gaudentis *c. 1. & c. Auditis 3. De in Integ. restit.*) Decretum Judicis: & priore quidem loci, in quo res sita, posteriore autem Domicilij exigi; & alterius duntaxat interpositio sufficere videtur Gomez, *Tom. 2 Var. cap. 14. n. 17.* Molinæ *Tract. 2. De l. & l. disp. 224. n. 29* & Brunemanno *in l. Si pradium cit. n. 3.* Contra determinatè Episcopi loci, in quo res sita est

est, consensum exigit Glossa in can. In Venditionibus cit. V. Eodem, arg. l. cit. & c. Sanè 3. de Foro compet. Ubi Controversiæ, super re Ecclesiastica ortæ, cognitio præ alijs adstruitur Episcopo loci, in quo illa est sita.

Denique Episcopi, cujus Jurisdictioni Ecclesia vel Monasterium, de cujus rei Alienatione agitur, auctoritatem sive consensum necessarium & sufficientem esse, cum Archidiacono in can. In Venditionibus cit. n. 3. Innocentio & Anchorano in c. Pastoralis, de Privileg. aliisque docet Redoanus De Reb. Eccles. non alien. Rubr. 30. casu 1. n. 38. & Pirrhing, Method. Jur. Canon. lib. 3. tit. 13. n. 49. quorum sententia conformior est Sanctionibus Ecclesiasticis & Rationi. Illis quidem; quia exigunt consensum ejus, à quo ordinatus est Prælatus Domûs sive Monasterij, cujus res est distrahenda; ad hunc enim, tanquam proximum Superiorem, Prælati electi Confirmatio & Benedictio de Jure spectat, c. 1. De supplenda neglig. & c. Cum contingat, 11. De atat. Tamburin. Tract. cit. tom. 1. disp. 6. q. & n. 2. & disp. 11. q. 9. n. 1. Huic verò, sive Rationi; quia in Alienatione Ecclesiastica exigitur Consensus, sicut Capituli, sive Conventûs Ecclesiæ vel Monasterij: ita etiam Episcopi, cui ex officio incumbit curare, ne illa vel istud rerum Immobilium aut mobilium Pretiosarû Alienatione dispendium & damnum patiantur: cujusmodi cura non Episcopo loci, in quo res sita, tanquam alieno, sed Ecclesiæ vel Monasterij, de cujus rei Immobilis, aut Pretiosæ mobilis Alienatione agitur, tanquam proprio ejus Pastori ex officio incumbit. Confirmatur; quia, ne Immobilium Alienatione rerum suarum dispendium patiatur, periculum subit sola Ecclesia vel Monasterium alienans: non res, de cujus Alienatione agitur; ac proinde non istius, sed illius Episcopi cognitione & consensu opus erit. Vnde corrui ratio & opinio Baldi; quia sicut alias Solennitates, ita etiam Consensum Superioris SS. Canones exigunt, non propter interesse qualecunque, sed quod versatur in conservatio-

ne, aut amissione rerum Immobilium, aut mobilium Pretio-
larum: quòd, cùm solam Ecclesiam alienantem afficiat, istius
potiùs Superioris euram attingit, quàm Episcopi, cujus Juris-
dictioni subiectus est locus, in quo sita est res.

7 Neque magis fundata est opinio Glossæ; quia inter Cogni-
tionem judicalem & Consensum in Alienationem latum est
discrimen; cùm illa competat ratione rei in Territorio sitæ *c.*
fin. De Foro compet. iste verò ratione Ecclesiæ & Prælati alienan-
tis, ut hujus potestas relaxetur, & illius indemnitati pro-
spiciatur. Vnde, sicut de quæstione super ipsa re orta cogno-
scere potest Judex, in cujus Territorio ea est sita: ita in Aliena-
tionem consentire spectat ad Superiorem, cujus Jurisdictioni
Ecclesia, & Prælati alienans subiiciuntur: qui est Episcopus
loci, in quo Ecclesia, vel Monasterium est situm per *ext. can.*
Omnes Basilica 16. q. 7. c. Cùm olim 18. juncta Gloss. penult. & fin.
De Prescrip. c. Constitutus 6. & seqq. De Relig. Domibus.

8 Neque tuum Nobis sensum persuadet Bartolus; cùm quia
aliæ pro Minoris Civili, & aliæ Solennitates eodem & Canoni-
co Jure præscriptæ sunt pro Alienatione rerum Ecclesiasticarum:
tum verò; quia illo ad Alienationem Immobilium Minoris re-
quisitum Decretum, est judiciale, & in ipso actu præstatum:
non item Consensus Episcopalis: qui hoc ipso, quòd Prælati
alienantis potestatem relaxet, Alienationem præcedere solet,
& debet *citt. Archidiac. in c. 1. De Reb. Eccles. alien. in 6. & Re-
doanus n. 43. & 44.*

Dubium etiam, & Controverfia inter eosdem est, an Su-
perioris, scilicet Archiepiscopi, aut si talem non habeat, Papæ
consensus & autoritas necessaria sit Episcopo alienanti bona
Mensæ suæ, vel etiam Capitularis? Non quidem post Consti-
tutionem Pauli II. sive *Extravag. Ambitiosa, De Reb. Eccles. a-
lien.* aut eùm ad Alienationem, inconsulto Superiore, se non de-
venturum juravit; illa enim, ubi usu recepta est, & juramen-
to, cùm de re licita imò laudabili sit, standum est, juxta Regu-
lam

Iam *c. Cum contingat. 28. De jurejurando c. Licet, eodem Tit. in 6. & c. Quamvis, de Pactis in 6.* Sed de Jure communi & Extravag. cit. antiquiore: ex cuius dispositione Episcopo, ejusmodi Immobilia alienaturo, præter Capituli, etiam Archiepiscopi, sui Metropolitanani vel Papæ consensu opus esse cum Gloffa in *c. 1. V. Defensore, De Reb. Eccles. alien. in 6.* existimat Baldus in *Auth. Hoc Jus cit. & Bonacina De Alienat. Bonorum Eccles. q. unica p. 4. & n. 4.* arg. *c. Ut super 8. eodem Tit.*

Sed istius *textus* dispositio specialis locum tantum habet in Episcopo ad consensum Apostolicum requirendum obligato vi à se præstiti juramenti: alio autem hujus, aut Archiepiscopalis consensûs necessitas expressa non reperitur. Contra verò pluribus *textibus* ad Alienationem Episcopi, præter Capitularem vel Clericalem Consensum & Subscriptionem, nihil exigitur: ut patet *ex can. Placuit. can. Sine exceptione 12. q. 2. c. 1. De jis, quæ à Pralat. & cc. Pastoralis 9. ibid. & 7. de Donat.* Unde meritò ipsi ad suæ vel Capitularis Mensæ bonorum Alienationem de Jure antiquo, ac proinde, ubi *cit. Extravag. & ejusmodi Juramenti præstatio* usu recepta non est, etiam hodie Archiepiscopi consensu opus esse cum Innocentio & Hostiensi in *c. 1. cit.* aliisque negat Redoanus *Casu. 1. cit. n. 45. & 50.* ex ratione; quòd Legislator Ecclesiasticus hujusmodi Consensûs si interventum desiderâsse, mentionem utique non omississet: ac proinde eum hoc ipso, quòd omiserit, nec desiderâsse præsumatur arg. *c. Ad audientiam, de Decimis,*

Neque huic Resolutioni obstat *can. Hujusmodi §. Quòd si, 11. 10. q. 2.* ad Ecclesiæ rerum distractionem exigens Comprobationem, & Subscriptionem duorum vel trium Comprovincialium, aut vicinorum Episcoporum; quia § *cit.* ex Concilio Agathensi *c. 7.* desumpta dispositio Consuetudine, contraria si ve non-usu, memoriam hominum excedente, jam pridem est antiquata, teste Bellamera in *can. Abbatibus cit. apud cit. Redoanum n. 56.*

Mona-

- 12 Monasteriorum, uti etiam aliarum Ecclesiarum Exemptarum Superior, cujus authoritatis interventum, sive consensum ad illa & has pertinentium rerum Alienatio exigit, est Papa: cujus Jurisdictioni, vi Privilegij Exemptionis, immediate subijciuntur, Glossa in *Clement. 1. De Reb. Eccles. alien. V. Proprij.* Qua in re tamen à DD. adhiberi solet distinctio inter Monasteria à Jurisdictione quidem Episcopi Exempta, sed tamen subiecta alicui sui Ordinis Prælato vel Abbati Generali, vel aliàs
- 13 in ea obtinenti Jurisdictionem quasi-Episcopalem: & ea, quæ tali subiecta non sunt: & posteriorum quidem Abbati vel alij Prælato immediato ad Immobiliùm Alienationem præter maioris partis sui Conventûs, etiam Papalem consensum necessarium, cum Glossa *cit.* tradunt Panormit. in *Clem. cit. n. 9.* Francus in *c. 1. eodem Tit. in 6. n. 23.* quia huiusmodi Abbatis vel Prælati proprius, & immediatus Superior est Papa. Priorum autem Abbatibus, aliisque Superioribus localibus sufficit authoritas sive consensus Generalis Præpositi, &c. & aliquando ex istius concessione solius Provincialis, in eos, eorumque Monasteria exercentis Jurisdictionem quasi-Episcopalem, ut cum *cit.* tradunt Suarez *tom. 4. De Relig. lib. 2. cap. 27. n. 13.* & Tamburin. *quest. 5. n. 2.* Ipsi tamen Abbati vel alteri Prælato Generali ad proprij Monasterij Immobiliùm Alienationem, præter Conventûs sui, etiam Apostolicum consensum necessarium esse, cum Redoano *l. cit. n. 77.* & communi aliorum docet *cit.* Tamburin. *disp. 13. q. 5. n. 2.*
- 14 Rectè tamen hîc Suarez *cit. cap. 27. n. 13.* de Religiosis Ordinibus monet, quando Præpositi, Generalis necessarius, aut Provincialis consensus sufficiens sit, spectandas esse cujusque Ordinis Constitutiones, Consuetudines & Privilegia Apostolica: vi quorum, præsertim à Gregorio XIII. in Bulla, quæ incipit *Apostolica Sedis*, die 18. Decemb. 1576. edita, ita concessorum, Præpositus & Congregatio Generalis Societatis Jesu, & vi Communicationis Privilegiorum, aliorum etiam Ordini-

num Abbates & Capitula Generalia, secundum *cit.* Tamburinum *n.* 2. bona Stabilia sive Immobilia, & mobilia Pretiosa exigente aut suadente iustâ causâ alienare, Papa inconsulto, possunt, Molina *tract.* 2. de 1. & 1. *disp.* 468. *n.* 13. & Tamburinus *disp.* *cit.* q. 6. *n.* 1. ubi varia ejusmodi aliorum Ordinum Privilegia refert.

Verum hodie ex Decreto Congregat. Cardinalium Interpp. 15
Concilij Tridentini, Urbani VIII. jussu. 7. Septemb. 1624. edito, memorata facultas Ordinum Præpositis & Congregationibus, vel Capitulis Generalibus est adempta, ut jam res & bona Immobilia, & mobilia Pretiosa alienare, Hypothecæ subijcere, ultra triennium locare, in Feudum vel Emphyteusim concedere, nisi in casibus jure permissis, eis perpetuos Vitalitios census imponere, sine ipsius dictæ Congregationis expressâ in Scriptis, & gratis concedendâ licentiâ, sub pœna privationis Officiorum suorum omnium, Vocisque tam activæ quam passivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, ipso factò incurrendâ, amplius non possint, Tannerus *Tom.* 3. *disp.* 4. de *Justitia* q. 7. *n.* 193. & Tamburinus *quæst.* *cit.* *n.* 7.

Dubium denique est, an ad rerum Ecclesiasticarum Alie- 16
nationem, præter Superioris Ecclesiastici, etiam exigatur consensus Patroni? Hunc enim etiam de Jure requirendum, non obscure desumi videtur ex eo; quòd Patronatûs jus, sicut *Honorificum & Utile*, ita etiam *Onerosum* esse perhibeatut à Joan. Andrea & Panormit. *in Rubric. De Jure Patronat.* *n.* 1. & in suis de isto *Tractat.* à Rocho de Curte *Princip.* *n.* 3. Julian. Viviano *lib.* 1. *cap.* & *n.* 2. traditâ, & ab alijs DD. receptâ ejus definitione: Patronisque à Jure imposuim sit *Onus*, sive cura sui Patronatûs Ecclesias defendendi non solum adversus Potentiores, ne opprimantur, sed etiam adversus earum Rectores, & Administratores, ne ipsarum Bona malè alienata dilapidentur, aut redditus in alios, quàm à Fundatoribus præscriptos usus, scilicet cultûs Divini & Fabricæ conservationem, salaria & sustentationem.

nem Ministrorum, alimenta aliásque necessitates pauperum convertantur, per *text. can. Filij*, *can. Decernimus* 16. q. 7. & *c. Generali* 13. *De Elect. in 6.*

Sed, etsi hæc ita se habeant: & propterea, cùm Ecclesiæ rerum Alienationem Necessitatis aut alia legitima causa exigat, etiam Patroni consensum requirendum suadeat ratio Honestatis: & aliquando Utilitatis, redundantis in ipsam Ecclesiam, & ipsum alienantem; ne ab eo susceptæ Alienationis negotium, si Patrono non consulto damnosum, aut saltem Ecclesiæ non expedire, ex quacunque causa videatur, ab ipso ex Officio impugnetur juxta *can. cit.* ejus tamen consensum ad contractûs ex justa causa, & cum hætenus declaratis Solennitatibus celebrati substantiam & valorem necessarium non esse, cum Felino in *c. Cùm accessissent*, *De Constit. n. 20.* Panormit. in *c. Unic. Ut Benef. sine diminut. n. 20.* Rocho de Curte, *Tract. cit. V. Onerosum n. 3.* Lambertino, *De Jure Patronat. lib. 3. quest. 2. art. 7. n. 2.* & Viviano *cap. cit. n. 19.* docet Laiman, *Tractatu De Rer. Eccles. alien. cap. 4. n. 58.* Ratio est; quòd substantialibus Alienationis Solennitatibus à Jure nusquam accenseatur, & præter Clerici Institutionem sine Patroni Præsentatione factam *can. Decernimus cit. c. Illud 8. & c. Ex insinuatione, 14. De Jure Patronat.* nullus actus, sine ipsius autoritate gestus, irritatus repariatur, ut cum Anchorano *Consil. 72.* advertit Lambertin. *l. cit. in fine.* Imò à Concilio Tolet. IV. *can. Noverint. 10. q. 1.* relato decretum sit, *Conditores Basilicarum in rebus, quas eisdem Ecclesijs conferunt, nullam potestatem habere, sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam ita Dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere.* Cui consonant textus *can. De Rebus 12. q. 2. can. In Canonibus 16. q. 1. & novissimè Concil. Trident. sess. 24. cap. 3. De Reformat.*

¶ 8 Neque aliud exposcit ratio Oneris Patrono imminentis; quia Vi istius, & *can. Filij*, aliorumque *text. cit.* Patrono saltem Laico, de Jure non Jurisdictio in Ecclesiam & Clericum

in

in ea Canonicè institutum, neque rerum ejus temporalium administratio, sed quædam duntaxat inspectio competit & cura, ne bonorum dilapidatione Ecclesia damnum patiatur; hoc enim, aut ea aliàs malè administrari si adverteret, à Jure impositi *Oneris* ratio exigeret, ut vel ejus Rectorem honestæ admonitionis conventionem compefceret ipse, vel Canonicæ distractionis severitate coercendum Prælato Ecclesiastico denuntiaret.

Dixi *saltem Laico*; quia Patroni Ecclesiastici Consensum ad Alienationem exigit Anchoran. *cit. Consil.* 72. quòd majus istius, quàm Laici jus & autoritas sit in Ecclesia Patronata; cùm administrationis rerum istius temporalium rationes exigere *c. Ex literis 7. De Jure Patronat. & c. Cùm & plantare 3. §. In Ecclesijs, De Privileg. & Ecclesiæ Vacantis custodiam assumere possit, ut desumitur ex c. Bona 51. De Appellat.* Sed meliùs, secluso Privilegio, etiam Ecclesiastici Patroni Consensum ad Alienationis valorem de Jure exigi negat Lambertinus *art. cit. n. 2.*

Excipienda tamen imprimis sunt Bona in Ecclesiam collata, apposita in ipsius Foundationis limine conditione, ne sine Patroni consensu alienentur; cùm enim in illo à Patronis reservari Pensiones, & aliæ conditiones etiam Juri communi adversantes, dummodo perpetua Legum prohibitione reprobata vel impossibiles non sint, apponi cum Episcopi consensu possint, per ea, quæ arg. *l. In re mandata C. Mandati ex communi aliorum sensu & Rotæ Decis. alleg. tradit Barbosa in c. Gravis 15. De Censibus n. 3.* in Foundationis limine cum istius consensu etiam apponi poterit, & servanda erit conditio, ne in Ecclesiæ fundationem vel dotationem collata bona, ipso non consulto, alienentur; cùm talis conditio à SS. Canonibus nusquam reprobetur Lambertin. *art. cit. n. 1. Rosenthal. Tract. Feudal. cap. 4. conclus. 19. n. 14. & Laiman Tract. cit. cap. 3. n. 51.* Deinde Bona Ecclesiæ non absolutè donata, sed concessa in Feudum;

alia enim, etiam in casu licito, & Canonicis Solennitatibus observatis, alienari sine Domini directi consensu non posse, arg. c. Transmissa 7. c. Verum, 8. De Foro compet. communiter docent
 22 Canonistæ apud Laiman l. cit. Denique Bona, quæ, ut sine suo consensu non alienentur, Patroni etiam Laici, Privilegio, vel Consuetudine, immemoriali tempore præscriptâ, obtinuerunt, Laiman ibid. n. 52. & Pirthing Method. Jur. Canon. lib. 3. tit. 13. n. 63.

ARTICULUS VI.

De Valore Alienationis, sine justa Causa aut Forma Canonica, celebrata.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|---|
| 1. Harum alterâ destituta, illicita: | 1. Alienationem aliqui pro valida habent. |
| 2. Sine Causa facta Alienatio etiam nulla est; | 9. Verius eam irritat ommissio Solennitatis, |
| 3. Non propter solam Prohibitionem juris: | 10. Necessaria etiam casu, quo illa utilis est: |
| 4. Quo multa prohibentur, quæ facta tenent. | 11. Et ab Ecclesia, contractu stare volente, supplenda, |
| 5. Expositio can. Imperiali 25. q. 2. &c. | 12. Saltem ex intervallo. |
| 6. Ecclesia restituitur, cum laesa est in pretio, | 13. Differentia inter Pupillum, & Prælatum: |
| 7. De Causa solum existimata. | 14. Et istius paritas cum Minore & Vasallo |
| 8. Solâ Formâ destitutam Alienationem aliqui pro valida habent. | 15. De consensûs Alienationi supervenientis retroactione. |
- R**erum Ecclesiæ Immobiliū & Pretiosarum Alienationem, quantumvis solennem, sine justa Causa, aut cum ista

ista sine solemnitatibus, aut aliqua istarum celebratam, illicitam Prælati esse, res est omnino indubitata.

Dubium autem & Controversia inter DD. primò est, de ejusmodi causâ destitutæ, sed cum debitis solemnitatibus celebratæ Alienationis Valore. Eam enim de Jure subsistere cum Glossa in can. *Sine exceptione V. Profuturum. 12. q. 2.* volunt Hostiensis in *Summa De Reb. Eccles. alien. §. 3. in fine* & Joan. de Lignano apud Panormit. in *cit. 1. De in integ. restit. n. 17.* cā præcipuè moti ratione; quòd ex una Ecclesia, cum ejusmodi alienatione læditur, in integrum sive eum statum, in quo ante contractum fuit, restituatur per *text. c. 1. cit. & c. Auditis. 3. eodem Tit.* ex altera vero parte, cum Contractus nullus est, ejusmodi restitutioni locus non sit per *l. In causa 16. princip. & §. Et generaliter 3. ff. De Minoribus &c.* cum enim tali casu Ecclesia habeat remedium Nullitatis Ordinarium, locus non est extraordinario Restitutionis, secundum Regulam ab omnibus receptam, & omnino indubitatam testibus Sfortia Oddo *De Restit. in integ. p. 1. quest. 17. n. 13.* & Rolando à Valle *lib. 1. Consil. 59. n. 1.*

Sed meliùs eam pro irrita nullaque, cum *cit. Panormit. 2* habent Covarruvias *lib. 2. Var. cap. 17. n. 2.* Redoanus *De Reb. Eccl. non alien. Rubr. 21. n. 38.* Molina *Tract. 2. de 1. & 1. disp. 468. n. 15.* & Azor *p. 2. Instit. moral. lib. 9. cap. 1. quest. 8.* propter textum *cit. c. 1. in 6.* ubi Innocentius IV. Alienationem non Solennem invalidam pronuntiat, ex ratione; quòd *evidens Necessitas, quare fieri deberet, vel Utilitas non subesset.* Ei consonant Clemens V. rei Ecclesiæ immobilis Locationes ad vitam & *c. nisi Necessitas aut Utilitas Monasterij* expolcat *c. Ad Monasterium 1.* & Paulus II. *nullius omnino roboris & momenti* sic decernens super ejusmodi rebus initos contractus, *praterquam in casibus Jure permissis, Extravag. Ambitiosa inter com. De Reb. Eccles. alien.*

Pro ratione Nullitatis ejusmodi alienationis. *cit. Redoanus 3*

mus & Azor cum Panormit. in c. Nulli cit. n. 7. reddunt ipsam Juris prohibitionem: ex qua actus contra eam gesti Nullitatem generaliter argui volunt, quod Imperiali Constitutione l. Non dubium §. C. De LL. & Canonicâ Regulâ 64. in 6. apertè sancitum sit, ut ea, quæ contra leges & SS. Canones fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint, textus est can. Imperiali 25. q. 2.

Verùm hæc ratio speciem majorem, quàm vim habet; eum enim prohibere & irritare diversa sunt: ex simplici actus prohibitione ejus Nullitas legitimè non inferitur; quia multa prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, non minùs clarus, & regularis textus est. c. Ad Apostolicam 16. De Regular. Cui similia habentur c. Ex literis 2. in fine, de Matrim. contra interdict. & c. Unico, De voto in 6. sic enim Matrimonia Clandestina Ecclesia non tantùm prohibuit, sed semper detestata est, teste Tridentino sess. 24. cap. 1. De Reformat. Matrim. & tamen, ante hoc ejus Decretum, clàm inita conjugia irrita non fuerunt. Sic eadem Voto simplici obstrictis illicita: & tamen Voti religione, aut ex alio impedimento solùm impediente orta obligatione insuper habitâ, contracta subsistunt per c. Ex literis, c. Unic. cit. & c. Rursus 6. Qui Clerici & vovent. Sic res uni promissa aut vendita contra legis prohibitionem donari, & vendita tradi alteri validè potest, Suarez De LL. lib. 4. cap. 30. Molina Tract. cit. disp. 88. & Sanchez lib. 7. De Matrim. disp. 2. n. 10. can. Imperiali & ceteros textus in contrarium allegatos de Lege sive Jure actui formam præscribente, aut Decreto Clausulâ aut verbis irritantibus munitâ, ac proinde intra simplicis prohibitionis terminos non manente explicantes: & monentes ea, quæ contra jus fiunt, pro infectis sæpe ideo tantùm habenda, quod careant robore Firmitatis, & ope Exceptionis, vel per sententiam Judicis elidantur, vel rescindantur juxta can. Vides, distinct. 10. ibi Quod contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur.

Scd

Sed, ut ad propositam Alienationem redeamus, ejus Nullitas non rectè impugnatur ex *c. 1. & c. Auditis citt.* quia in Integrum restitutionem, non casu omnis justæ causæ deficientis: sed quo, illâ ex justa causa factâ, notabilis læsio accidit in pretio, Ecclesiæ competere cum *citt.* Covarruvia & Molina advertit Gonzalez *in c. 1. cit. n. 14.* tum enim Contractum de Jure subsistere patet arg. *c. Cum dilecti 3. & c. Cum causa 6. De Empt. & Vendit.* Canisius *in c. 1. cit. n. 3.* & ibi Gonzalez *n. 14.*

Eidem restitutioni in Alienatione, ex causa legitima tantùm existimata, & Juris Solennitatibus observatis, facta, locum esse, cum *citt.* Covarruvia *n. 2.* & Molina *n. 15.* volunt Bonacina *De Contract. disp. 3. quest. 8. p. 4. n. 6.* & Pirrhing *l. cit. n. 35. in fine;* quòd credibile non sit, Alienationes bona fide, & modo à Jure præscripto factas, ab Ecclesia irritatas. Quæ sententia, etsi valde probabilis, æqua, & in praxi tuta sit: & præterea, cum Jure præscriptæ Solennitates siue Alienationis forma observata est, legitimam causam non defuisse, præsumatur: casu tamen, quo causam legitimam tantùm existimatam fuisse constat, Alienationem, spectato Juris rigore, pro nulla satis probabiliter habent Navarrus *De Alienat. Rer. Eccles. n. 9.* & Palao *Tract. 11. disp. unica p. 15. §. 6. n. 2.* quòd, absque legitima causa facta Alienatio, cujusmodi ea, de qua agimus, revera est, à SS. Canonibus irrita absolutè pronuntietur.

Dubium secundò, & non minoris in praxi momenti, vel magis expeditæ Resolutionis controversia est de Valore Alienationis Immobilium aut Pretiosorum, ex justa quidem causa, siue in casu licito, sed hætenus enumeratarum Solennitatum aliquâ omisâ v. g. Capitulari aut Superioris consensu non requisito, vel non obtento, celebratæ. Et ejus quidem Valorem defendunt Sylvester *V. Alienatio. quest. 13.* Navarrus *De Alienat. Rer. Eccles. n. 17.* Rodriguez *22. Regul. tom. 1. quest. 27. art. 9.* & Quaranta *in Summa Bullar. V. Alienatio n. 24. & 50.* Moventur duplici ratione. Prima est; quòd dictas Solennitates præ-

præscribendi ratio unica fuerit; ne Ecclesiæ damnum ac præjudicium paterentur: hujusmodi autem damnum aut præjudicium, cum, quando v. g. evidentis Utilitatis causa intervenit, omnino cesset, cessare etiam conveniat. Legem sive Sanctiones Ecclesiasticas, quibus dictæ Solennitates introductæ & Immobiliū ac mobiliū Pretiosorum Alienationi sunt præscriptæ per text. *c. Cum cessante. 60. De Appellat. c. Magna. in fine. 7. De Voto & arg. l. Generaliter. 50. C. De Episc. & Cleric. Tiraquell. Tract. De Causa cessante. lit. L. à n. 130. & Anchoranus Consil. 47. n. 4. ubi ait, Hæc est regula generalis in Legibus, Tractatibus & alis Dispositionibus, ut cessante causa, super qua fundatur Dispositio, etiam Dispositio cesset. Altera, quod, cum ejusmodi contractus, favore Ecclesiæ claudicet ita, ut hæc, illo secum sine debita Solennitate inito, stare, vel ab eo recedere, si velit, possit, ut in suo Tractat. De Redit. Sarmiento p. 1. cap. 2. n. 18. docet, contractum valere sibi necesse; quia ab invalido nulloque recedere contrahentium uterque liberè potest; cum, quod nullum est, nullum habeat effectum, perinde ut quod factum non est; quia *non factum & nulliter factum æquiparantur l. Quoties 6. ff. Qui satisfacere cog. Flaminus De Confid. quest. 46. n. 25. Confirmatur; quia, ut res malè alienata Ecclesiæ restituatur, necessaria est Rescissio Contractus, ut non obscure supponit *can. Apostolicos §. Quisquis, & disertè exigi videtur can. Precaria 12. q. 2. non obscuro indicio. Valoris; quia Rescissioni locus non est, quando actus ipso Jure est nullus. arg. l. In causa. 16. §. Generaliter ff. De Minoribus.***

Verùm Rescissio *can. cit.* supposita vel expressa, non ad obligationem & similes Juris effectus, sed ad factum tantum referri debet ita, ut Alienatio, quæ de Jure nulla est, de facto etiam revocetur, & res Ecclesiæ restituatur, ut cum Turrecremata in *can. cit.* notat Gonzalez in *c. Quoties 2. De Pactis n. 2.*

Quare meliùs ejusmodi Alienationem pro irrita habent Covarruvias *lib. 2. var. cap. 17. n. 2. Molina Tract. 2. de 1. & 1. disp.*

diff. 468. n. 15. Suarez tom. 4. De Relig. lib 2. cap. 77. n. 20. & 21. & Bonacina De Contract. disp. 3. q. 8. p. 4. n. 10. qui præcipuè se fundant in Jure, debita Solennitate destitutas Alienationes discretè & generaliter irritante, can. Sine exceptione 12. q. 2. ubi Leo Papa Irrita, inquit, est Episcoporum Venditio & Commutatio rei. Ecclesia absque Conniventia & Subscriptione Clericorum: cui ad verbum consonant text. c. Irrita. 3. c. Tua 8. De jis, qua à Prælat. & similia habentur Clement. 1. & c. 1. De Reb. Eccles. alien. in 6. Rationem reddunt; quòd in Prælati desideretur potestas alienandi sine Solennitatibus, & sine iis facta Alienatio destituatur Formâ: quâ non servatâ actus est nullus. l. 1. l. Si cum inter 2. C. Quando provocare non est necesse Gloss. in c. Cum dilecta 22. V. Irritum, De Rescript. Panormit. ibid. n. 6. & Tiraquell. in l. Si unquam, C. De Revocand. donat. V. Revertatur n. 67.

Neque, ut contrariæ doctrinæ Assertores sibi persuadent, 10. cum Alienationem suadet evidens Utilitas, deficit ratio, ob quam Solennitates sunt introductæ; quia has introducendi ratio non fuit damnum & præjudicium, quòd hæc aut illa Ecclesia, vel in hoc vel illo casu particulari patitur, sed universale periculum multarum damnificationum Ecclesiis inferendarum, nisi Legali cautione certæ Solennitates in rerum Ecclesiasticarum Alienationibus universaliter observandæ præscriberentur: quæ ratio, cum non deficiat, quantumvis, debitâ Solennitate in contractu aliquo particulari non observatâ, nullum Ecclesiæ damnum inferatur, tali etiam casu non cessabit ratio, ob quam hæcenus declaratæ Solennitates Jure sunt præscriptæ. Confirmatur paritate LL. Civilium propter periculum multarum fraudum ac deceptionum in ultimis Voluntatibus committendarum, nisi universaliter observentur Solennitates l. Ex imperfecto 3. & l. Hæc consultissimâ 21. C. De Testamentis: & S. Synodi Tridentinæ, propter periculum gravium incommodorum, quæ ex defectu probationis Conjugiorum
 clàm

clàm initorum timenda sunt, ad valorem Matrimonij præsentiam proprij Parochi, & duorum vel trium Testium requirentis, *Sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim.* quibus non præsentibus inita Matrimonia, & Solemnitatibus non observatis condita Testamenta, ipso Jure irrita nullaque sunt etiam casu, quo committendæ fraudis, aut alicujus incommodi ex Testamento minùs Solenni vel Matrimonio aliter inito, secuturi periculum abesse constaret; quòd fraudum aut incommodorum sæpe interventurorum, aut secutorum periculum, nisi Legales & Canonice illæ Cautiones in omni Testamento aut Matrimonio essent observandæ, non cesset, *Suarez lib. 6. De LL. cap. 7. à n. 5. Salas Tract. eodem, disp. 11. sect. 3. n. 31. & Palao Tract. 3. disp. 5. p. 1. n. 11.*

Neque obstat eorundem Ratio altera; quia cum Ecclesia sine Solemnitatibus contrahens, si ista velit, resilire non permittitur in pœnam fraudis: quam illis, tanquam Canonice Alienationis Formâ, non observatis, contrahendo præsumitur intentasse, *Valquez cit. dub. 14. in fine, rectè advertens casu, quo Ecclesia sic contrahentem ad Contractûs observantiam vellet compelli, ex parte ipsius opus esse, ut Contractus, qui nullus fuit, adhibitis, quæ sunt omisissæ, Solemnitatibus omnibus, approbetur & ratificetur. Vnde*

Dubium tertio est, an Alienatio ob defectum Solemnitatum nulla, illis ex intervallo supervenientibus ratificetur? Ratio dubitandi desumitur à paritate Pupilli: à quo sine consensu & autoritate Tutoris initus, & propterea irritus Contractus, illius consensu ex intervallo superveniente non convalet, *§. Tutor. 2. Instit. & l. Obligari 4. §. Tutor 5. junctâ Glosâ V. Debet, ff. De auth Tutor. Confirmatur; quia Alienatio destituta Solemnitatibus, ut ante dictum, nulla est, ob defectum Formæ: in qua, ubi peccatum est, Ratihabitio nihil operatur, secundum Baldum in *l. Observare 4. §. Post hac 6. ff. De Officio Proconsul. q. 14.**

Nihilo-

Nihilominus ejusmodi rerum Ecclesiæ Immobilium Alienationem, Solennitatibus ex intervallo supervenientibus, ratificari, cum Hostiensis *in c. Cum Nos 3. De ijs que à Prælat. V. Ratam,* & Panormit. *ibid. n. 3.* aliisque, defendunt Redoanus *De Reb. Eccles. non alien. Rubr. 30. casu 6. n. 10.* & Sarmiento, *de Redit. Eccles. p. 1. cap. 3. n. 1.* propter text. *c. Quoties 2. de Pactis:* ex cujus Gregoriana decisione Conventiones, Superioris consensum exigentes, ejus superveniente Ratihabitione, solidantur, & *c. Cum Nos cit.* ubi Conventu non consentiente, imò reclamante, ab Episcopo facta Decimæ concessio non tenere dicitur, *nisi eam postmodum, sive ex intervallo, Conventus ratam habuisset.* Ratio est; quia ejusmodi Ratihabitione subsequens vim habet Mandati, & ad præcedentis atque Ecclesiæ utilis Alienationis tempus retrahitur, per *text. cit. & c. Ratihabitionem 10. De R. I. in 6. Hostiens. l. cit. Vivianus in Ration. c. Cum Nos cit. & Barbosa in c. Quoties cit. n. 2.*

Neque aliud rectè infertur ex §§. *Tutor cit.* quia lata di-
 sparitas est inter Alienationem Prælati Ecclesiastici, & contractum Pupilli; isti enim contrahenti necessarius consensus Tutoris est, ut suppleat defectum judicij, quo laborare præsumitur Pupillus, ad istius quasi informandum consensum, & Personam integrandam, ut proinde meritò consensus sive auctoritas exigatur in ipso contractu, sive antequam ad alia negotia transitus fiat: contra Prælato, rem Ecclesiæ suæ Immobilem alienanti, Superioris & Capituli consensus necessarius est tanquam Solennitas: quæ etiam ex intervallo superveniens à Jure perinde habetur, ac si à principio in ipso Alienationis contractu intervenisset, & hanc ratificandi & confirmandi vim habet *per text. cit. & can. Si qua 12. q. 2. Gaill. lib. 1. Observat. 47. n. 5. & Gonzalez in c. Quoties cit. n. 13.* sicut Alienationem rei immobilis alicujus Minoris sine Decreto Judicis: & Alienationem Feudi à Vasallo sine Domini directi consensu factas, illius Decreto & Auctoritate, & hujus consensu ex intervallo supervenientibus

nientibus ratificari docent, Bartol. in l. Si quis 25. §. Jussum. ff. De acquirend. hered. n. 5. & Baldus in l. Cum ipsa 4. C. De contrah. empt. n. 5. cujus tamen in §. Posthac, cit. traditum generale dogma casu, quo Ratihabitio fit solenniter, & ab omnibus, à quibus actus ab initio geri debebat, procedere, arg. l. 1. C. Qui admitt. ad bon. poss. ex communi aliorum sensu, negat Sarmiento cit. n. 1. Sed hinc ulterius

¶ 5 Dubium quartò oritur, an Alienatio non solennis, Solennitatibus v. g. Capituli aut Superioris consensu ex intervallo supervenientibus ita ratificetur, ut perinde habeatur, ac si nulla Solennitas desiderata, ac proinde Alienatio ab initio valida fuisset? quod negat Panormit. in c. Cum nos cit. n. 5. eam non nisi à tempore Solennitatis supervenientis validam censeri desumens ex Regulis, Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit; quæ r8. in 6. & Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere, quæ est 29. ff. De R. I. Verùm, quia superveniens illorum consensus fictione Juris ad celebrati Contractus tempus retrotrahitur cc. cit. ac proinde Alienatio non per solum tractum temporis, sed legitimum consensum supervenientem ratificatur, ut notat Glossa Magna in Reg. cit. & præterea cum Ecclesia contrahens istius favore à Contractu resilire, etiam ante prius omitti consensûs adventum, non potest, allegatæ Regulæ videri possunt, non obstare, quò minùs superveniente legitimo consensu Alienatio ita ratificetur, ut perinde habeatur, ac si ab initio valida fuisset: quod cum Navarro n. 17. cit. & alijs antiquioribus non obscurè sentit Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 27. n. 20.

ARTICULUS VII.

De Consensu Apostolico.

SUMMARIUM.

1. Sine isto Ecclesiarum res sub-
- mitti nequeunt Laicis :
2. Et Immobiles ac Pretiosæ
- alicnari.
3. Ex-

3. Extravag. Ambitiosæ dispo-
sicio.
4. Contra hanc facta Aliena-
tionis irritatio:
5. Et pœna alienantium sine
consensu Papa,
6. Extravag. cit. requisito ad
quamcunque rei Immobilis,
7. Non tamen modica &c. Alie-
nationem.
8. An etiam ad eam, qua Jure
Antiquo est permessa, dubitan-
di ratio:
9. Cum stylo Curie & cit. Extra-
vag. sine non satis conveni-
ens.
10. Sensus verborum, Præter-
quam in casibus Jure per-
missis.
11. Ad Alienationem ultra
Papa Consensum nihil exigi
Affirmantium,
12. Et Negantium opiniones,
13. Conciliantur distinctione.
14. Papa in Alienationem dam-
nosam consentire velle non
censetur:
15. Neque licitè potest,
16. Sine violatione proprij Jura-
menti:
17. In utilem etiam, non solet
ad informationem solius Alie-
nantis.
18. Specialem tamen consensum
præstans, supplet Solennita-
tes:
19. In specie Tractatum Capitu-
larem:
20. Consensum Superioris imme-
diati & Capituli,
21. Istiusque Subscriptionem.
22. Vi Clausula, Si ita est.
23. Extravag. cit. usu receptam
Affirmantium,
24. Et Negantium varia Opinio-
nes.
25. De ea sensus DD. Germaniæ
nostra.
26. Tenor Juramenti Prelato-
rum de non alienando:
27. Ejus explicatio Wagnere-
kiana,
28. Confutatur.
29. Non extenditur ad Aliena-
tiones Jure permixtas sine So-
lennitate.
30. Sine hac eo non prohibitas
comprehendit.
31. Ejusdem Interpretis exposi-
tio altera.

ANtiquo Jure proditis Ecclesiasticæ Alienationis Solen-
nitatibus cum tempore accessit Consensus Sedis Aposto-
licæ:

licæ: sine cujus speciali licentia & Consensu Capituli sui, Prælati aliique Rectores Ecclesiarum Bona immobilia seu Jura illarum Laicis submittere seu subiicere: illos Patronos & Advocatos sive suarum Ecclesiarum, Rerumque & Jurium Defensores, constituere: eosque quasi Dominos aut Superiores recognoscere à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi prohibiti sunt: & super ejusmodi Concessionibus, & Alienationibus celebrati Contractus, hisque firmandis adjecta Juramenta &c. irritata, ut refertur c. *Hoc consultissimo 2. De Reb. Eccles. alien. in 6.*

- 2 Eadem Apostolici Consensus Solennitas ad alias Rerum Ecclesiæ Immobilium, & mobilium Pretiosarum Alienationes postea generaliter à Paulo II. requisita est famigeratâ illâ, & in libris Scholisque, & utroque Foro celebratâ Constitutione, quæ incipit: *Ambitiosa & Extravag. Unicâ inter Com. eodem Tit.* refertur. Eâ memoratus Papa imprimis prohibet quamcunque
- 3 Alienationem, quâ ejusmodi res sive Bona sine Consensu Apostolico transferuntur. Deinde excipit tres casus Alienationis sine ejusmodi Consensu permiffæ: scilicet *Locationē infra triennium: Infeudationem & Emphyteusin in casibus jure permiffis, & de bonis in Fendum vel Emphyteusin dari solitis ab antiquo*, cum evidenti utilitate faciendam: & Alienationem fructuum, qui servando servari non possunt. Postea extra hos casus de rebus seu bonis Ecclesiarum, inconsulto Romano Pontifice factam quamcunque Alienationem *nullius omnino roboris vel momenti*, hoc est, ipso jure irritam esse decernit ita, ut ejusmodi res & bona sic alienata ad suas Ecclesias liberè debeant
- 4 reverti. Denique, tam Alienantem, quàm alienatas ejusmodi res & bona recipientem, Excommunicationis sententiâ ferit: & alienantem insuper, si Episcopus vel Abbas sit, Ecclesiæ suæ ingressu omnino interdictum, & si in interdicto sex menses perseveret, à regimine & administratione suæ Ecclesiæ suspensum: Inferiores autem Prælatos & Rectores, Prælaturis suis, Beneficijs &c. ipso facto privatos esse decernit. De qua Constitutione *Extravag. latè*

Con-

Convenit inter DD. primò, eâ prohibitas esse omnes species Alienationis, & omnia pacta, quibus rei Immobilis aut mobilis Pretiosæ dominium, non tantùm Directum, sed etiam Utile, Ususfructus, aut Jus in re in alterum transfertur; quia eâ non tantùm Venditio &c. sed etiam Emphyteusis, Locatio ultra triennium, Hypotheca, aliique similes Contractus prohibentur, Barbofa *in Extravag. cit. n. 5.*

Convenit inter eosdem secundò, Consensum Apostolicum, non tantùm in Contractu Feudali & Emphyteutico, tribus casibus relatis, sed etiam in rei modicæ & Ecclesiæ inutilis juxta *can. Terrulas 12. q. 2.* & alijs casibus Jure antiquo sine Solennitatibus permissæ Alienationis, non requiri, Barbofa *ibid. n. 14.* & *De Off. ac Potest. Episc. alleg. 95. à n. 50.* Donatus *Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. Tract. 14. à q. 35.* quod de dispositione *can. Terrulas cit. à S. Congreg. Cardinal. Trident. Interpp. iteratò declaratum*, testis est Fagnanus. *in c. Nulli cit. n. 25.*

Controversitur autem inter eos primò, an Consensus Apostolicus etiam exigatur ad Alienationem, quæ, exigente aut suadente justâ causâ, & adhibitis Juris Solennitatibus fit? ratio dubitandi est; quòd *cit. Extravag. sine Consensu illo fieri prohibeantur Alienationes, praterquam in casibus à Jure permissis.* Cùm ergo Immobilium & mobilium Pretiosorum Alienatio, exigente aut suadente justâ causâ, & Solennitatibus intervenientibus, à Jure permissa sit, his cum illa concurrentibus, Apostolici Consensûs interventu, sicut olim, ita hodie etiam, opus esse non videtur Panormit. Navarro & Rebuffo *in suis Tractat. De Alienat. Rer. Eccles. omnibus n. 2.* Quorum opinio non parùm ex eo confirmatur; quòd, si hoc etiam casu necessarius esset Consensus Apostolicus, exceptio illa, *Praterquam in casibus à Jure permissis*, nihil operaretur; ac proinde otiosa & inutilis foret, contra *c. In ijs 30. De Privileg. & communem sensum DD. Legis etiam Pœnalis & odiosæ, ne otiosa evadat, interpretationem latam sustinentium, arg. c. Si Civitas 17. De sent.*

Ex-

Excommunicat. in 6. c. ac §. fin. De Usuris in 6. junctâ Gloſâ. in §. fin. cit. V. Aliter facta.

9 Nihilominus, cum Immobilia aut mobilia Pretioſa alienantur, ultra juſtam cauſam & antiqui Juris Solennitates, regulariter Conſenſum Apoſtolicum *Extravag. cit.* requiri cum Quaranta in *Summa Bullar. V. Alienatio*, à n. 5. & Marco Ant. Genuenſi *Prax. Curia Archiepiſc. Neapol. cap. 8 §. n. 2.* probabilius defendunt Tamburin. *Tom. 3. De jure Abbat. diſp. 13. q. 9. n. 1.* Donatus *Tom. 1. Prax. Regul. tract. q. 23. n. 1.* & Wagnereck in *Extravag. cit. Exegeſ. Not. 4. in fine.* id aliorum DD. frequentiori calculo, Obſervantiâ, Stylo & Praxi Curia Romanæ receptum aſſerentes: ſeque fundantes in eâdem Conſtitutione; quâ memoratus Papa indemnitati Eccleſiarum, quæ bonorum ſuorum Alienationibus à ſuis Prælatiſ & Rectoribus ſæpe attentatis, paſſim magna detrimenta paſſæ ſunt, conſulere volens, in poſterum Alienationes quaſcunque fieri prohibuit, Romano Pontifice inconſulto: itaque ſibi & Succelloribus ſuis reſervavit cognitionem juſtæ cauſæ, ad Canonicam Alienationem requiſitæ; quia ſi Rerum Eccleſiaſticarum diſtractio generaliter in omnibus caſibus, in quibus de Antiquo, etiam *cit. Extravag. Novo Jure ſine Conſenſu Apoſtolicio fieri poſſet*, per eam contra Papæ intentionem & Proëmij tenorem, parum fuiſſet conſultum indemnitati Eccleſiarum: & Prælatorum, Eccleſiaſtica bona cum Divini cultûs detrimento uſurpare præſumentium, ambitioſæ cupiditati non ſatis occurſum; cum illarum Prælatiſ & Rectoribus non minùs licitum poſt illam eſſet, quàm fuit antè, ut rectè advertit Fagnanus in *c. Nulli §. De Reb. Eccleſ. alien. n. 15.* Unde in contrarium allatæ Rationis confirmatio nobis non adverſatur.

10 Ipa etiam Ratio majorem veri ſpecièm, quàm vim habet; quia *Extravag. cit. Verbis, Præterquam in caſibus à Jure permiſſis*, expreſſa Exceptio reſtringenda: & non ad omnes recentiores, ſed duos duntaxat immediatè præcedentes, *Feudalem & Emphy-*

Emphyteuticum Contractus, referenda est ita, ut per eam non Regula de non alienando, sed ea tantum, quæ de rebus Ecclesiæ in Feudum aut Emphyteusim non concedendis est, limite- tur, ut cum *cit.* Fagnano observat. Pirthing *Method. Jur. Ca- non. lib. 3. Tit. 13. n. 54.* evincit Ratio resolutionis: & inde etiam non obscure constat; quod Exceptio illa duobus illis Contracti- bus: ipsi verò subijciantur verba, *ac de rebus, & bonis in Em- phyteusim ab antiquo concedi solitis, cit.* Fagnanus *n. 14.* & Do- natus *n. 5.*

Accedit; quod Exceptio illa, etiamsi ad omnes, & non tantum duas proximè præcedentes Alienationis species referre- tur, tamen ne evaderet otiosa, de ejusmodi Alienationibus, Ju- re antiquo sine Solennitatibus permittis, & hæcenus explicatis, intelligenda potius, quam ad eas, quæ præter justam causam etiam Solennitates exigunt, esset referenda: & non obscure referatur à Barbofa *in Extravag. cit. n. 14.*

Controversia secundò est, an ad valorem Alienationis **II** post *cit.* Constitutionem Paulinam, præter Assensum Apосто- licum, necessaria sit justa causa, aut antiqui Juris Solennitates? Ratio dubitandi pro Affirmativa; partim quod ejus Cõditor Pau- lus II. expressè omnes Prædecessorum suorum Constitutio- nes, Prohibitiones, & Decreta alia, super rerum Ecclesiastica- rum Alienatione edita, innovarit; ac proinde ijs præscriptas So- lennitates omnes voluerit observari: partim verò; quod credi- bile non sit, Romanum Pontificem, qui Jura tuetur, Solenni- tates multis vigiliis & laboribus excogitatas, uno verbo & præ- fertim Constitutione, eundem, quem ipsa, finem spectante, subvertere voluisse, ut habent textt. *c. Ecclesia 57. §. Neque e- nim, de Electione, & l. Si quando 35. princip. C. De Inofficiosa Test.* Contrà pro Negativa imprimis est; quod Papa sit omni- um Ecclesiarum Caput, *can. Imprimis §. Contra hoc 2. q. 1. & Supremus ac Plenarius illarum Administrator, arg. c. Licet 2. De Prabend. in 6.* deinde; quod Solennitates omnes introductæ

P

aut

aut firmatae sint Decretis Conciliorum, quae Papa sunt inferiora *can. Nemo, can. Cuncta per Mundum* 9. q. 3. aut Summorum Pontificum ipsius Pauli & pariter cum eo potestatis Praedecessorum, Constitutionibus: inferior autem Superiorem ligare nequeat, *can. Inferior, dist. 21. & c. Cum inferior* 16. de Majorit. & Obed. & pariter etiam parem; cum in eum non habeat imperium per text. *c. Innotuit. 20. §. Quamvis, de Electione & l. Nam & Magistratus* 4. ff. De recept. Arbitr. Legalis aut Canonicae dispositionis obligatione constringere non possit, Barthol. Perett. in Extravag. *Ambitiosa* cit. V. Praedecessorum n. 5.

13 Rationibus his, in utramque partem allatis, Nos aliquid tribuendum: & de Controversia, distinctionis ope, existimamus pronuntiandum. Et primo quidem cum *citt. Quaranta* n. 7. in fine, Marc. Ant. *Genuesi* cap. 106. n. 6. & Donato *quest. 26. n. 3.* etiam post Constitutionem Paulinam, pro irrita nullaque habendam censemus quamcunque rerum Ecclesiae Immobilium Alienationem, quam non exigit Necessitas, neque Utilitatis aut alia justa causa suadet, etiam cum Consensu Apostolico factam, propter defectum Voluntatis: imò & Potestatis.

14 Illius quidem sive Voluntatis approbandi Alienationem faciendam sine justa causa: hanc enim exigere, & an justa causa subsit, cognoscere Papa solet, praevia delegatione in Personas aliquorum, in Dignitate Ecclesiastica constitutorum: qui inquirent, an Alienationis concessio cedat in evidentem Ecclesiae Utilitatem: & si ita apparuerit, interposito Decreto, nomine Sedis Apostolicae ad illam assensum praestent, Riccius in *Praxi decis. 94.* & Barbosa *citt. alleg. 95. n. 71.* Neque in Ecclesiarum praedudicium vel damnum quidquam concedere intendit, aut praesumitur; cum, quidquid agitur à Papa, benè sanctèque agi, & Suprema ejus Authoritas, non nisi exigente aut suadente justà causà, interponi censeatur: atque insuper in terris licitum non sit, de Sedis Apostolicae Judicio judicare, *can. Neminè* 17. q. 4. vel ipsius sententiam retractare propter Primatum, Ro-

manz

manæ Ecclesiæ in Beato Petro divinitus collatum, ut advertit
Præpositus in *can. Lege. dist. 10. apud Redoanum, de Reb. Eccles.
non alien. Rubr. 30. casu 4. n. 43.*

Hujus autem, siue Potestatis saltem Ordinariæ; quia, si- 15
cut res Ecclesiæ sine causa alienando: ita etiam sic faciendas ea-
rum distractiones approbando, graviter peccat; quòd rerum Ec-
clesiæ principalis quidem Administrator sit; sed tamen eas tenea-
tur conservare, pro promovendo ex ipsarum fructibus & pro-
ventibus cultu Divino, Ministrorum salarijs, alimentis paupe-
rum, aliisque Ecclesiarum & egentium necessitatibus vel usi-
bus, juxta *can. 1. can. Sacrorum, can. Aurum & c. 12. q. 2.* & illud
Christi: *Petere pascere Oves meas, Joan. 21.* non pro libitu voluntatis
sue dissipare vel usurpare possit.

Confirmatur; quia ad hoc in Ecclesia Romana, præ alijs 16
immediatè ipsi subjecta, cavendum ex Pij V. Motu proprio, ex
certa Scientia, & de Apostolicæ potestatis Plenitudine, atque de
S. R. E. Cardinalium in Consistorio secreto Consilio, & Vna-
nimi Consensu 4. Calend. Aprilis 1567. edito, memorati Car-
dinales singuli, imprimis in sua ad ejus Dignitatis Eminentiam
promotione & assumptione Pilei, se terras & loca quæcunque
ad Jus, Proprietatem, & Dominium Sedis Apostolicæ perti-
nentia, ad eamque devoluta & ejus Camerae incorporata, non
alienaturos, aut in eorum Alienationem consensuros: deinde,
Sede Apostolica Vacante, in Conclavi de eadem Constitutio-
ne, per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem elige-
tur, inviolabiliter observandâ, Juramentum præstant. Idem,
qui ad summi Pontificatus fastigium evehitur, post suam As-
sumptionem promittere ac jurare: & hujusmodi promissio-
nem ac juramentum, post suam Coronationem specialibus li-
teris ejus Confirmatorijs iterare debet, vi ejusdem Constitutio-
nis Pianæ, à Gregorio XIII. Sixto V. & Innocentio IX. innova-
tæ & confirmatæ, ut refert. Franc. Leo *Thesaur. Fori Eccles. p. 1.
cap. 15. n. 20. & 25.*

- 17 Secundò, de Jure invalidam censemus Alienationem factam ex justa quidem causa & cum Consensu sive Licentia Apostolica: quæ ad petitionem atque informationem solius Prælati vel Rectoris alienantis: & non, ut moderna Praxis habet, causæ cognitione inquisitioneque per Delegatos præmissâ, est impetrata, propter *Extravag. cit. text.* ex eoque desumptam rationem dubitandi pro Affirmativa; quia per hujusmodi consensum Apostolicum non satis consulitur indemnitati Ecclesiarum: & propter hanc Antiquo Jure præscriptarum Solennitatum defectus non suppletur. De jure dictum est, propter memoratam Praxin & modernum stylum Curia Romanæ, harum defectum abunde suppletis: & illarum indemnitati satis consulentis. Unde
- 18 Tertiò, cum *citt. Quaranta n. 7. Donato n. 2. & Corrado Prax. dispens. Apostol. lib. 9. cap. 1. n. 22* pro valida habendam censemus Alienationem, quæ facta est ex justa causa & interveniente absolutâ licentiâ Sedis Apostolicæ, legitime & absque ob-vel subreptione impetratâ, & Motu proprio atque ex certa Scientia interpositâ; cum propter rationem allatam pro Negativa: tum verò; quia, quòd Prælati inferiores res inutiles exiguas, aut Ecclesiæ onerosas absque ulla Solennitate alienare possint, habent ex concessione & licentia Papæ, *can. Terrulas. can. sine exceptione §. Item domus 12. q. 2.* qui, propter supremam & plenissimam, quam habet, rerum Ecclesiasticarum Potestatem, sanare potest omnes Nullitates, ex quacumque Constitutione Ecclesiastica provenientes, si ejus Licentia vel actûs Confirmatio Motu proprio, vel de suæ potestatis Plenitudine fiat, ut à Rota decisum, resti est Donatus *l. cit.*
- 19 In specie autem Consensus & authoritas Apostolica tollit necessitatem tractatûs Capitularis, secundum *citt. Quarantam n. 7. & Pirrhing n. 55.* cum ejus defectum abunde suppleat cognitio de evidentia Utilitatis, quam Alienatio Ecclesiæ præfertur allatura: quæ Delegatis in Partibus committi solet, prius

priusquam alienandi Licentia Apostolica indulgeatur, Franc. Leo cit. cap. 15. n. 47. uti etiam Consensus immediati Superioris, secundum eosdem & Redoanum Rubr. cit. casu 2. n. 5. idem enim operatur Rescriptum & Auctoritas Principis, quod operatur Interventus & Decretum Inferioris, Baldus in l. Illud C. Quando Decreto opus non est: & habens verbum Superioris, non indiget verbo Inferioris, ut idem loquitur in Summa l. cit.

Eadem ferè ratio est Subscriptionis & Consensus Capitularis; quia illius, saltem ad valorem, necessitatem passim sustulit Consuetudo, juxta dicta, art. & n. 4. cujus non major vis est, quam Legislatoris, ex cujus voluntate ea vim habet Juri Positivo derogandi arg. c. fin. de Consuet. & l. De quibus ff. de LL. Panormit. in c. fin. cit. n. 1. & Rochus de Curte in Enarrat. c. Cum tantò, de Consuet. sect. 4. n. 24. Iste autem (sicut etiam illa) introductus est Jure solum Ecclesiastico: quo Papam non ligari constat ex dictis, & pronuntiato Baldi, illum supra jus contra Jus & extra jus Positivum esse, asserentis in c. Cum super, de Causa poss. & propr. n. 1.

Præter alios tamen citr. Quaranta & Wagnereck advertunt, si licentia Papæ non absoluta, neque ex certa scientia &c. sed cum Clausula conditionata, Si ita est, concederetur, defectum Solennitatum, & præsertim consensus Capitularis, ut notat Donatus q. cit. n. 3. non suppleri: ac proinde sine illis celebratum Alienationis contractum invalidum fore: sicut sine illis non valet, in locis, ubi Constitutio Paulina usu non est recepta, Vnde

Tertia, eaque minimè levis momenti & expeditæ resolutionis Controversia oritur, an Extravag. Ambitiosa cit. usu sit recepta? Hac enim in re admodum variant DD. nam Quaranta in Summa Bullar. V. Alienatio, n. 48. & Corradus Prax. dispens. Apostol. lib. 9. cap. 1. n. 7. volunt, eam per totum Orbem usu esse receptam (recipiendam fortassis melius dixissent) integraliter & secundum omnes suas partes, etiam quoad pœnas extrinsecas Censurarum. De ejusdem viridi observantia in Vrbe

Romana, ex qua quotidie literæ Apostolicæ super rerum Ecclesiasticarum Alienationibus emanant, & in toto Ecclesiæ Statu, Alphonf. à Leon. *De Censur. Recollect.* 4. V. *Alienatio.* In Archiepiscopatu Mediolanensi, Bonacina *Tract. de Alienat.* p. 5. n. 4. In Civitate & Diœcesi Florentina, Ant. de Petra *de Jurisdic. Episc. Tract. & cap.* 2. n. 10. In tota Italia, & Neapolitano, Lusitanix & Hispanix Regnis, Marc. Ant. Genuens. *Prax. Curix Neapol. cap.* 75. n. 1. Melch. Phæbus Lusit. *Decis.* 88. n. 18. & Barbosa *de Off. & potest. Episc. alleg.* 95. n. 49. testantur: etsi apud istum Covarruvias, an ea recepta sit apud Hispanos, multoties in Controversiam asserat adduci.

24 Contrà, eam non ubique, Sylvester V. *Alienatio q.* 15. *in fine* aliisque relatis Sarmiento *de Redit. Eccles.* p. 1. cap. 3. n. 20. Extra Italiam nullibi gentium, præsertim quoad Locationes Zypæus *Analys. Jur. Pontif. Tit. de Reb. Eccles. alien.* n. 2. Quoad easdem & privationem Beneficiorum, & absolutè ex toto nullibi: & quamvis quoad dispositionem principalem & intrinsicam Nullitatis in multis: in paucis tamen locis, quoad extrinsecas Excommunicationis Suspensionis &c. pœnas, usu receptam, asserit Navarrus, *de Censur. Eccles. cap.* 27. *Excommunicat.* 25. n. 150.

25 Quam sensûs DD. & locorum usûs varietatem ponderantes Sairus *de Censur. lib.* 3. cap. 22. *Excommunicat.* 8. *in fine* & Guttierrez *22. Canon. lib.* 1. cap. 8. n. 9. docent, consulendam Praxin & Consuetudinem locorum ac Provinciarum: eaque standum. Hanc præcipuè spectans Wagnerreck *in ejus Exegesi V. Inconsulto* existimat, validas in multis locis videri Alienationes, quæ sine Summi Pontificis consensu fiunt, præsertim à Principibus Ecclesiasticis Germanix nostræ: qui propter hanc causam, alicubi, saltem in non magni præjudicij Alienationibus, ad Papam recurrere non solent, etsi id facere tutius esset. Eandem Praxin respiciens Lud. Engel, *Colleg. Jur. Canon. lib.* 3. *tit.* 13. n. 15. asserit, in Germania aliisque ab Italia remo-

remoris Provinciis, ex quibus ad Sedem Apostolicam difficilio^r est recursus, ex Consuetudine alicubi Prælatos non Exemptos pro alienandi licentia, non ad illam & Papam, sed ad Episcopos suos recurrere: eamque causâ cognitâ, ab istis in Ditionibus Belgicis concedi, testis est Zypæus *l. cit.* Consuetudinem verò, quâ Episcopi & Abbates Exempti, Jurisdictionem quasi-Episcopalem in suis Monasterijs obtinentes, in Alienatione vulgarij, & minoris æstimationis Prædiorum alterius Superioris consensum non requirunt, ex communibus & receptis principijs propugnat *cit. Engel n. 24.* Vnde ulterius

Quarta, eaque non minoris, quàm prior, momenti & 26
difficultatis Controversia oritur, an, & quomodò dictæ Constitutionis Paulinæ non usus in Episcopis & Abbatibus possit excusari? Ratio dubitandi est; quia ex una, singuli, qui à Sede Apostolica confirmantur, in sua Consecratione vel Benedictione, in sequentia verba jurant: *Possessiones ad Mensam meam, vel ad Monasterium meum, pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesie mee, vel Conventus Monasterij, inconsulto Romano Pontifice*: eique Juramento addunt: *Et si ad aliquam Alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita Constitutione, scilicet Extravag. Ambitiosa, contentas, eo ipso incurrere volo, ut habetur in Pontificali Romano p. 1. Tit. de Consecrat. Episcopi & Benedictione Abbatis*: ex altera verò parte servandum est omne Juramentum, quod non vergit in dispendium salutis æternæ, nec redundat in alterius præjudicium vel detrimentum: & multò magis, quod est de re honesta, aliàs debita & in Ecclesie vel Monasterij bonum redundante, juxta Regulam *c. Quamvis, de Pactis in 6. c. Cum contingat. 28. de Jure Jurando & c. Licet 2. eodem Tit. in 6.*

Hujus Argumenti vim in favorem Prælatorum, ut ener- 27
vet Wagnereck *in Exegesi Extravag. cit. V. Inconsulto.* respondet Juramento illo plus non promitti, quàm quòd sine consensu illo

illo ad nullam Alienationem devenire velint, nisi in casibus Antiquo jure permisis: ac proinde, cum Ecclesiæ Necessitas vel evidens Utilitas Alienationem postulat, rem Ecclesiæ vel Monasterij, præmisso Tractatu & obtento consensu Capitulari, à Prælato alienari posse, quin agat contra Juramentum; quia casus iste Antiquo Jure est permissus. Atque sic Episcopale Juramentum à JCT is Romanis, super hac re à quodam Germaniæ Episcopo consultis, ante complures annos asserit explicatum.

28 Sed Responso ista non minùs difficilis est, quàm ratio, cui ipsam cit. Autor opponit; quia relatum Juramentum etiam se extendit, imò comprehendit casus, quibus rerum Ecclesiæ Immobilium & Pretiosarum Alienatio ordinariè & licitè à Prælatis facta fuit: ac proinde eos, quibus Alienatio ex justa causa & cum Solennitatibus fit; cum quia Juramentum ad requirendum Consensum Apostolicum obligat casu, quo intervenit consensus Capitularis, præcipua Antiqui Juris Solennitatum, ut colligitur ex ejus tenore, & justa causa; quia Alienationes sine justa causa etiam cum Licentiâ & Consensu Papæ non sunt faciendæ, imò in eo Papa non præsumitur consentire; cum Licentiæ & consensui suo præmittere soleat accuratam cognitionem de Veritate & Justitia causæ alienandi: ut dictum n. 17. tum verò; quia casus Alienationum Antiquo Jure cum Solennitatibus permissarum comprehendit Constitutio Paulina: ad quam Prælatorum Juramentum referri, iterum patet ex ejus tenore. Et denique etiam; quia prædictum Juramentum, si non comprehenderet casus Alienationum, quæ ex justa causa & cum Solennitatibus fiunt, parum aut nihil operaretur & contra finem perejus introductionem intentum, non constringeret potestatem Prælatorum; cum rerum Ecclesiasticarum, quascunque priùs poterant, Alienationes facere, non obstante Juramento, sine consensu Apostolico possent.

29 Quare Episcopos & Abbates vi relati Juramenti, ad consensum

consensum Apostolicum requirendum obligari existimamus in omnibus casibus, quibus ille requirendus est vi *cit.* Constitutionis Pauli II. Vnde, sicut ista, ita etiam dicto Juramento non obstante, non tantum Feudalem & Emphyteuticum Contractum, tribus casibus illius textu expressis, celebrare: sed etiam res Ecclesie damnosas, inutiles, & modicas (aut saltem in Germania aliisque partibus ab Italia remotioribus, non magni momenti) & in casibus supra relatis alienare sine Apostolico consensu possunt, Panormit. *in c. Ut super, cit. n. 15.* Sylvester V. *Alienatio, quest. 6.* Azor. *p. 2. Instit. lib. 9. cap. 1.* Lessius *lib. 2. de I. & I. cap. 24. n. 64.* quia tales Alienationes in Juramento non comprehenduntur. Contra res Immobiles (saltem magni momenti) sine consensu Apostolico alienare, etiam in casu licito, & cum consensu Capituli, volentibus Episcopis aliisque Prælati, qui vigore Literarum Apostolicarum consecrantur, sicut *cit.* Constitutio, ubi usu recepta est, ita etiam Juramentum obstat, ut præter *cit.* DD. docent Navarrus *de Alienat. rer. Eccles. n. 14.* Laiman, *lib. 3. Tract. 4. cap. & n. 10.* & Pirrhing. *Method. Jur. Canon. lib. 3. Tit. 13. n. 57.* propter rationem supra allatam.

In praxi, etsi difficilem censeamus, non tamen rejiciamus alteram Responsionem: quæ eidem argumento occurrit *cit.* Wagnereek, asserens, in Juramento, quo Episcopi, si quando ad Alienationem inconsulto Papa devenerint, se obnoxios fore profitentur Pænis, in Paulina Constitutione sive *Extravag. Ambitiosa cit.* contentis, subintelligi hanc tacitam conditionem: *Si, vel quatenus Extravag. hujusmodi, usu sit recepta:* cujus rationem eam reddit; quod Juramento illo Prælati se non obligent ad servandam Legem, quæ in sua Provincia usu non recepta, aut non usu, vel contraria Consuetudine est abrogata. Sed etsi hæc in Episcopis procedant: Abbatibus tamen aliisque Regularibus, Immobilia alienaturis, licentiam S. Congreg. Card. Trid. Interpp. hodie necessariam, patet ex *art. 5. n. 15.*

Q

ARTI-

ARTICULUS VIII.

De Alienationis, Rerumque Ecclesiasticarum malè alienatarum Revocatione.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|---|
| 1. He repeti possunt à Superiore Alienantis. | 12. Et in Bavaria nostra Serenissimi Principes. |
| 2. An etiam ab ipso, dubitandi rationes, | 13. Repetentibus non obstat Rerum translatio in alium locum Pium; |
| 3. Juris Conclusioni non prevalentes. | 14. Neque Exceptio Dominij: |
| 4. Casus, quibus alicui contra suum factum venire, | 15. Neque Prescriptio Possessoris mala Fidei. |
| 5. Etiam propria turpitudine allegatà, licet. | 16. An etiam bona, dubitandi ratio |
| 6. Easdem repetit Prælati solum existimatus, | 17. Prescriptionem impediens, dum vivit alienans &c. |
| 7. Etsi non repetiturum se juraverit: | 18. Non eo mortuo, bona fide possidenti obstat, |
| 8. Uti & Alienantis Successor: | 19. Constitut. Injunctum, Pauli IV. |
| 9. Capitulum, etiam Sede vacante: | 20. Textu c. 2. de Reb. Eccles. alien. in 6. |
| 10. Et ceteri Clerici: | 21. Et ratione non obstantibus. |
| 11. Imò Laici, Parochiani & Patroni: | |

EX hætenus traditis abunde constat, rerum Ecclesiasticarum Immobilium & Pretiosarum mobilium, quæ servando servari possunt, Alienationes malè, hoc est, non exigente vel suadente justâ causâ, aut sine Canonicis Solennitatibus attentatas, Revocationi: resque ipsas Repetitioni obnoxias esse, juxta *can. Apostolicos, can. Etsi, 12. q. 2.* Eam

Eam etiam Revocationem Repetitionemque, non tantum à Superiore, sed ipsomet Prælato vel alio Administratore Ecclesiastico fieri posse, communis sensus est DD. : cui tamen etiam obstare non una ratio videtur: & primò quidem; quòd, si Alienationem revocare ipse vellet, proprium suum factum, tanquam contra SS. Canones actum, deberet retractare: proprium autem suum factum impugnare, eique contravenire nemini liceat arg. *c. Quod super 8. junctâ Glossâ, V. Possè, de Concess. Præbend. & l. Post mortem 25. ff. de Adoption. & in Judicio propriam turpitudinem allegans non audiatur c. Inter 8. de Donat. ibi, Pro se vel potius contra se propriam turpitudinem allegabat.* Secundò; quòd Prælatis, saltem Episcopis inferiores, & ceteri rerum Ecclesiasticarum Administratores, ejusmodi Immobilia aut mobilia Pretiosa perperam alienare præsumentes, ipso Jure & facto priventur suis Dignitatibus, Officijs & Administrationibus *Extravag. Ambitiosa §. Inferiores inter com. De Reb. Eccles. alien. ac proinde ejusmodi res repetere volentibus obstat defectus Potestatis sive Administrationis.* Tertiò, quòd à Prælatibus ejusmodi res alienantibus adijci contractibus quandoque soleant Juramenta de iis non revocandis & repetendis; quibus etiam in Ecclesiarum suarum præjudicium præstitis eos ligari, non obscure desumitur *ex c. Pervenit. 2. de Jurejurando,* ubi Episcopus, qui hujusmodi Juramentum præstitit, ut suo facto posset contravenire, ab illo autoritate Apostolicâ est absolutus: & meritò; si enim debitor, ne usuras fœneratori interveniente jurejurando promissas solvere: aut ut cum juramento de iis non repetendis solutas repetere possit, opus habet ejus relaxatione per *text. c. 1. & c. Debitores 6. de Jurejurando;* hæc etiam necessaria erit Prælato Ecclesiæ suæ res malè alienatas repetere contra proprium suum Juramentum volenti.

Sed hæc levia & minora sunt, quàm ut dubiam reddere, non dicam, evertere valeant receptissimam conclusionem DD. imò ipsius Juris, ejusmodi Repetitionem ipsi etiam Prælato, à

Q 2

quo

quo sunt alienatæ, permittentis *c. Si quis 6. de Reb. Eccles. alien. ibi, Nisi fortè & Alienator, & qui acceperit, celeri restitutione sibi prospexerint. Quod si minore animæ suæ curâ remedium Reiterationis & Restitutionis neglexerint &c. Cui*

- 4 Primâ ratione objectum quasi Regulare dogma, quod contra factum suum venire nemini liceat, plures admittit exceptiones: quas inter ad rem propositam tres faciunt. Prima est, nisi actus malè gestus, & ut is, de quo nobis sermo est, ipso Jure sit nullus; arg. *can. Magna 22. q. 4. Redoanus de Reb. Eccles. non alien. post. Rubr. 33. quest. 22. §. Et re ita se habente n. 4.* Altera, nisi agatur de favore & Jure Publico, præsertim Ecclesiæ: cujus favore à Prælato vel alio Administratore, quod in illius præjudicium ab ipsomet gestum est, rectè retractari, tradit Petr. Barbosa *in l. 1. ff. Solutio Matrim. p. 5. n. 15.* Postrema, nisi actus non proprio, sed, ut alienatio à Prælato vel alio Administratore Ecclesiastico, alieno nomine sit gestus Bartol. *in l. Si minori c. de Jure Fisc. Pari modo de eo, qui turpitudinem vel dolum suum allegat, prodita quasi Regula non procedit, quando agitur de Publico & præsertim Ecclesiæ favore, vel periculo animæ: cujus, ut hîc malè alienantis Prælati, salus adducitur in discrimen, arg. can. Quod quis 35. q. 9. Glossa in c. Inter cit. V. Turpitudinem, & Tutchus Practic. V. Turpitude, conclus. 404. à n. 58.*
- 6 Neque obstat ratio secunda; quia, ut non repetam, quod *cit. Extravag.* quoad pœnas, aut saltem earum rigorem in paucis locis usu recepta sit: ut, inquam, hoc prætermittam, & Prælatos malè alienantes Dignitatibus Administrationibus, & Officiis suis ipso Jure & facto privatos esse, inficias non eam: nihilominus quamdiu non remoti, sed in Administrationum suarum officijs tolerati sunt, sicut alia per eos secundùm SS. Canones gesta tenent, arg. *l. Barbarius ff. de Off. Præst. & can. Infamis §. Veruntamen, 3. q. 7.* ita etiam contra istos & nulliter factas Alienationes revocare, resque malè alienatas repetere possunt, Glossa *in c. Si quis cit. V. Prospexerint, Redoanus §. cit. n. 5.* Neque

Neque tertia; quia Juramentum illud non, ut quod debitor
 foeneratori præstat, de relicitâ: sed illicitâ est, & contrariâ obli- 7
 gationi Prælato impositâ à SS. Canonibus *c. Si qua* 12. q. 2. &
c. Si quis cit. ac proinde obligatorium non est, *can. Est etiam, cum*
seqq. 22. q. 4. & ipsomet *c. Pervenit cit.* cùm Juramentum insti-
 tutum non fuerit, ut esset vinculū iniquitatis per *text. can. Inter*
cetera, §. Porro, q. 4. *cit. c. Quanto* 18. de Jurejurando, & *c. Non est*
obligatorium 68. de R. l. in 6. Glossa in *c. Si quis, cit. V. Alienator*,
 Panormit. *ibid.* n. 7. Guttierrez de Juramento p. & cap. 1. n. 9. Bar-
 bosa uterque, Augustinus quidem in *c. cit. n. 8.* Petrus verò in
l. & p. 5. cit. n. 17. & 18. & alij: qui propterea *c. Pervenit cit.*
 aliósque similes textus, pro Absolutionis necessitate allegari so-
 litos, de Absolutione interpretativa & Nullitatis declaratoria,
 non dissolutiva vinculi intelligunt, cum Glossa *fin. in c. Perve-*
nit. cit. Suarez de Juramento lib. 2. cap. 15. n. 8. & Sanchez lib. 3.
Moral. cap. 9. n. 13.

Sicut à Prælato, ejúsque Superiore: ita etiam, Alienatione 8
 retractatâ, repeti Ecclesiarum & Monasteriorum res malè alie-
 natae possunt ab ejus Successore per *text. c. Episcopi* 4. & *c. Ad*
Audientiam 9. de Reb. Eccles. alien. etiamsi propter Collationis
 nullitatem undecunque proveniente, tantùm esset existima-
 tus, arg. *l. Barbarius* & §. *Verumtamen cit.* Præter hunc & illos, re- 9
 peti ejusmodi res possunt à Capitulo, non solùm Vacante, sed
 etiam Plenâ Sede *c. Si quis cit.* Imò, si in Ecclesiæ præjudicium
 gestis adjectum à Prælato fuisset Juramentum, ad evitandum
 in populo scandalum, consultius & honestius esset, ut ab illo
 vel Superiore, qui non jurârunt, potiùs, quàm à Prælato re-
 vocarentur; quia Prælatus, qui juravit, secundùm externam
 speciem, videri Fidelibus, præsertim rudioribus, potest agere
 contra Juramentum, ut cum Gloss. in *c. 1. de In integ. restit. V.*
Contractum, advertunt Laiman *Tract. de Rer. Eccles. alienat. cap.*
3. n. 39. & Pirrhing. *Method. Jur. Can. lib. 3. Tit. 13. n. 67. in fine.*

His autem deficientibus, illegitimè alienata repeti possunt 10

Q 3

ab

ab alijs Clericis, c. *Si quis cit.* §. *Sed etiam*, ubi Symmachus Papa, *Licer*, inquit, quibuscunque Ecclesiasticis vocem contradictionis offerre, ut cum fructibus possint alienata reposcere, & Ecclesiastica autoritate fulciri. Idem Glossa in §. *cit.* V. *Personis*, & Panor. mit. *ibid.* n. 8. permittunt Laicis Parochianis; quòd ipsorum

31 interfit, ne Ecclesia sua ad inopiam vergat: præsertim Patronis, etiamsi ista sit Juris Patronatûs Laicalis, ut cum Bartolo in l. *Jubemas* 14. C. de SS. Eccles. advertit Redoanus q. *cit.* §. *Sed deinde*, n. 10. partim quòd Patroni, ratione Oneris sibi incumben- tis, secundum Gloss. in c. *Nobis* 25. V. *Modestè*, de Jure Patronat. à se suisque Antecessoribus fundatas dotatasque Ecclesias te- neantur defendere, ne à potentioribus opprimantur, vel ipsa- rum Dotes & bona temporalia malè alienata dilapidentur, *can. Constitutum* 16. q. 1. *can. Filijs*, & *can. Decernimus*, *ibid.* q. 7. ideòque Patroni Ecclesiarum *Advocati* vocantur c. *Præterea* 23. c. *Cùm autem* 24. de Jure Patronat. c. *Generalis* 13. de Electione in 6. & c. partim verò; quòd grave præjudicium patiantur, si ab ipsis eorumve Majoribus fundatarum Ecclesiarum vel Beneficiorum Ecclesiasticorum redditus, bonis, ex quibus proveniunt, contra SS. Canones distractis, diminuuntur; cùm ita Ecclesia vel Bene- ficium difficilius reperiat idoneos Rectores & Clericos, à qui- bus, cùm illorum redditus essent ampliores, appetebantur, ut in simili argumentantur Barboza de Off. & Potest. Episc. alleg. 69. n. 21. & Palao Tract. 13. disp. 1. p. 1. §. 2. n. 9.

32 Multò majus, quàm ceteris Patronis Laicis, res Ecclesia- rum malè alienatas repetendi jus competit Serenissimis & Po- tentissimis Principibus nostris: qui ex speciali, & à Legatis A- postolicis agnito & stabilito Jure, à Prælati aliisque inferiorum Ecclesiarum Administratoribus, in illarum rebus tempora- libus malè versantibus, aut de hoc suspectis, Administrationis ra- tionem exigere possunt, ut patet ex *Recessu concordat.* 1583. art. 1. *Wann die Prelaten*: cujusmodi potestatem Patronis Laicis Jure communi non competere, res omnino indubitata est, pro-

propter claros textus *can. Nullus Laicorum, can. Si quis Principum* 22. q. cit. c. *In quibusdam* 12. de Pœnis & S. Synodi Trident. *sess. 24. cap. 3. §. Patroni verò, de Reformat.*

Neque Ecclesiarum, Monasteriorum &c. res malè alienatas reperentibus obstat primò, quòd illæ in Ecclesiam vel alium locum aut causam Fiam, aut spirituales sint translatae; quia etiam in hujusmodi Loca & causas, sine justa & à SS. Canonibus approbata causa & debitis Solennitatibus, facta illarum Alienatio ipso jure irrita: proindeque ipsa Retractationi, & res repetitioni obnoxia sunt, ut *exp. 3. art. 5. n. 6.* constabit.

Neque secundò eisdem ejusmodi res Ecclesiasticas reperentibus obstat Exceptio Dominij, sive, quòd Ecclesia non sit Domina: sed satis est probare, eas fuisse in bonis Ecclesiae, & ab hac possessas, & contra SS. Canones alienatas, ut ex *can. Ex simili* 12. q. 2. & c. *Episcopi, cit.* delumit August. Beroius *princip. in c. cit.* idque in praxi quotidianum, & valde utile, nec immeritò censet, propter probationem Dominij sive Proprietatis: quam saepe difficillimam docet magister usus & textus c. *Sape* 18. de *Restit. spoliar.*

Neque ut aliqui volunt, tertio, illas revocantibus obstat Præscriptio. Quod nemo facile inficiatur, si emptor aut alius, in quem ejusmodi res ab Ecclesia translatae sunt, eas Ecclesiasticas, & non exigente aut suadente justâ causâ, vel non observatis Juris Solennitatibus, distractas esse scivit; cum enim à tali mala fide detineantur, nullo unquam tempore ab eo poterunt præscribi per text. c. *Vigilanti* 5. c. *fin. de Præscript. & c. Possessor* 2. de *R. 1. in 6.* ac proinde illas repetere volentibus opposita Præscriptio non obstat.

Non melior esse conditio aliorum, ac proinde Præscriptionis Exceptio cuicumque, etiam bonæ fidei, Possessori non prodesse videri potest primò; propter Authoritatem Summorum Pontificum Gregorij X. in Decreto Conciliari c. *Hoc Consuetissimo* 2. de *Reb. Eccles. alien. in 6.* relato, rerum Ecclesiasticarum

fiasticarum malè factis Alienationibus vires ita adimentis, ut nec jus aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam parent: & Pauli IV. Exceptionem Præscriptionis earundem Repetitioni opponi posse, absolute negantis Constitutione, quæ incipit *Injunctum*, Id. Julij 1555. edita. Secundò, propter paritatem rei Ecclesiasticæ cum pupillari: cujus Præscriptio pro tota ea ætate sublata est *l. Sicut 3. V. Quæ ergo C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* Franc. Balbus *de Præscript. p. 6. princip. p. 1. n. 29.* Tertiò, quòd Præscriptio sit quædam Alienatio; cum sicut per Donationis, Venditionis &c. ita etiam per Præscriptionis viam rerum Dominium transferatur; ideòque prohibitus alienare Præscriptionem pati nequeat, Bertachin. *Tract. de Episc. p. 4. n. 155.*

17 Sed etsi, sicut pupillari ætate durante contra Pupillum: ita etiam contra Ecclesiam toto tempore, quo Prælati vel alius Administrator malè alienans vivit, vel ab Administratione remotus non est, Præscriptio non incipiat per arg. *can. Post quingentos, §. Item, & text. can. Si Sacerdotes 16. q. 3.* & toto tempore Sedis Vacantis, aut durantis Excommunicationis, Suspensionis vel Captivitatis ipsius Prælati, vel hostilitatis, non currat *can. Primâ actione q. 3. cit. c. 1. c. Ex transmissa 10. c. Auditis 15. §. Quod si, de Præscript.* quòd toto illo tempore Ecclesia careat legitimo Defensore, qui res malè alienatas repetere possit, aut facile velit, *c. 1. & c. fin. Ne Sede vacante &c. Panormit. in c. Ex transmissa cit. n. 8. & Molina Tract. 2. de l. & l. disp. 78. n. 7.*

18 Etsi, inquam, hæc ita se habeant, res tamen Ecclesiarum malè alienatas à bonæ fidei possessoribus, v. g. ab Emptore, præter justam causam etiam Tractatum Capituli istiusque & Superioris consensum adhibitum esse falsò persuaso, vel ab alio rem sibi venditam in Ecclesiæ bonis aliquando fuisse, omnino ignorante, 40. annorum lapsu præscribi Panormit. *c. cit. Covarruvix in Reg. Possessor. p. & §. 2. n. 3. Molinæ disp. cit. n. 1. Lessii, lib. 2. de l. & l. cap. 6. n. 26. Barbosa juris Eccles. lib. 3. cap. 28. n. 16.* aliorumque Interpp. & DD. communis sententia, & ratio

ratio clara est; quia sicut res Immobiles contra privatos præ-
sentes decem, contra absentes autem viginti annis *l. Diutina 4. l. fin. ff. de Præscript. long. temp. l. unica C. de Transform. Usucap. & princip. Instit. de Usucap.* ita Ecclesiarum inferiorum res 40. an-
nis à bonæ fidei possessoribus præscribi generaliter permittun-
tur, Jure tam Imperiali, *Auth. Quas actiones, C. de SS. Eccles. No-
vell. 131. cap. 6.* quam Ecclesiastico, *c. De quarta 4. c. Ad aures
6. c. Illud 8. princ. de Præscript.* A qua utriusque Juris dispositio-
ne, etsi excipiatur Ecclesia Romana, contra quam Centenariâ
minor Præscriptio non currit. *Auth. cit. in fine, Novell. 9. c. Ad
audientiam 13. c. Cum Vobis, 14. de Præscript. & c. 2. eodem Tit. in
6.* ejusque privilegium quibusdam Monasterijs, imò Ordinibus
Religiosorum, præsertim Mendicantium, Eugenij IV. Julij II.
Pij IV. aliorumque Summorum Pontificum Indultis commu-
nicatum, *Barbota in c. Cum Vobis cit. n. 3. Donatus Prax. Regul.
tom. 1. Tract. 12. q. 10. & alij testentur:* non tamen excipiun-
tur Ecclesiarum aut Monasteriorum quorumcunque res malè 19
alienatæ, quò minùs à bonæ fidei Possessoribus præscribantur:
præsertim postquam. *alleg. Pauli IV. Constitutio ab ejus Succes-
sore Pio IV. ad Juris communis terminos revocata est Bullâ,
quæ incipit Provida editâ 3. Id. Septemb. 1560.*

Neque obstat *c. Hoc consultissimo, cit. relatum Decretum; 20*
quia intelligi à DD. solet de eo, in quem res Ecclesiæ à Præ-
lato translata est sine Juris Solennitatibus; quòd has ad Con-
tractûs valorem necessarias ignoraret: in cujusmodi ignoran-
tia, cum sit Juris manifesti, fundata bonam fidem ad Præscri-
ptionem etiam de Jure Canonico non sufficere cum Panormit.
*inc. De quarta cit. n. 12. & Covarruvia in Reg. cit. §. 9. n. 8. do-
cet cit. Molina disp. 64. n. 4. & in c. Hoc Consultissimo cit. cum
Glossa V. Præscribenda notant Francus §. Contractus n. 4. & Bar-
bota n. 7.*

Multò minùs ratio; quia rerum Ecclesiæ Immobilium A- 20
lienatio non simpliciter, sed tantùm sine certa Forma est inter-

R

dicta,

dicta, ut hætenus latè est explicatum: respectu cujusmodi rerum Præscriptio sub ejusmodi Forma factæ Alienationis vim habet, per tradita à Baldo apud Redoanum *de Reb. Eccles. non alien. Rubr. 1. cap. 3. n. 13.*

ARTICULUS IX.

De malè alienantium Pœnis.

S U M M A R I U M.

- | | |
|------------------------------------|---|
| 1. Istarum necessitas. | 8. Defectus Traditionis: |
| 2. Pœna in malè alienantes Civili: | 9. Ignorantia Facti, |
| 3. Ecclesiastico Antiquiore: | 10. Et ipsius etiam Juris. |
| 4. Et moderno jure lata. | 11. Expositio c. 1. de Constit. in 6. |
| 5. Ab ijs excusat Consuetudo: | 12. Et c. Cùm illorum 32. de Sent. Excom. |
| 6. Defectus Administrationis: | 13. Ab iisdem excusat culpa solum Venialis. |
| 7. Alienationis imperfectio: | |

- 1 **U**T Ecclesiarum & Monasteriorum indemnitati consulere-
retur, non satis erat, causas, ex quibus, & Formam sive
modum, quo ad rerum Immobilium & Pretiosarum ad
illa pertinentium Alienationem deveniri posset, definire: &
aliter factam irritari, nisi Prælatorum & ceterorum Administra-
torū, Alienationes & quandoque dilapidationes attentantium,
seu facilitas seu temeritas, propositis severissimæ seu coercitio-
nis seu Vindicationis remedijs, & in dies magis, compesceretur.
- 2 Et primò quidem Leonis Imp. *l. jubemus 14. §. Oeconomus C. De SS. Eccles. c. Nulli 5. in fine, de Reb. Eccles. alien.* allegata, &
Canonizatâ Constitutione, res Ecclesiarum malè alienantes
Officij sui amissione plecti, & ad illati illis damni resarcitio-
nem compelli jubentur. Consonat *can. Monemus cum seqq. 12. q.*
- 3

12. q. 2. Imò Episcopi, qui absque necessitate, *can. Apostolicos §. Quisquis, can. Si quis Episcopus 10. q. 2.* Abbates & Clerici, qui absque licentia Episcopali Ecclesiarum res distrahebant, deponerentur per text. *can. Quisquis, & præsertim can. Abbatibus q. cit.* Qui verò res ita distractas & acceptas non restituebant, ipso facto erant excommunicati §. *Quisquis cit.* Quæ excommunicationis pœna etiam in Presbyteros & alios, qui prædij vel alterius rei Immobilis contra SS. Canones attentatæ Alienationi subscripserunt, decreta est *can. Non liceat Papa 12. q. 2. c. Si quis 6. de Reb. Eccles. alien.* Religiosi denique Monasterio, Prioratui, Ecclesiæ vel Administrationi præpositi, si istorum jura, redditus & possessiones alicui ad vitam vel quodcunque longum tempus contra SS. Canones concedebant, suspensionem ab Officio ipso facto incurrerent ex Decreto Concilij Viennens. *Clement. 1. eodem Tit. relato.*

Hodie, ubi consuetudo aliud non exigit, Res & bona Ecclesiastica malè alienantes, & sic alienata recipientes potissimum obnoxii sunt pœnis à Paulo II. latis *Extravag. Ambitiosa eodem Tit.* quâ, contractibus juxta dicta *art. 7. n. 4.* annullatis, imprimis tam alienans, Episcopo & Abbate inferior, quàm qui ejusmodi res malè alienatas receperit, excommunicatur: Episcopi verò & Abbates Ecclesiarum & Monasteriorum suorum bona, contra ipsius tenorem alienantes, interdicti ingressu Ecclesiæ: & si sub hoc interdicto sex mensibus perseveraverint, à regimine & administratione Ecclesiarum vel Monasteriorum suorum ipso facto suspensi pronuntiantur: Inferiores denique Prælati, Commendatarij & Ecclesiarum Rectores beneficiati & alii Administratores ultra Excommunicationem, Dignitatibus, Beneficiis & Officiis, quorum res & bona alienant, privantur: ita, ut illa absque ulla declaratione vacare censeantur Quæ pœnæ omnes in suprâ *art. 5. n. 15. cit.* S. Congregat. Card. Interpp. Decreto, Urbani VIII. jussu edito, confirmantur, adjunctâ in Prælatos, & quoscunque Superiores Regulares, res & bona

Immobilia aut mobilia Pretiosa, contra ipsius tenore præscriptam formam alienantes, pœnâ privationis omnium suorum Officiorum, Vocisque tam activæ quàm passivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ipso facto incurrendâ. Ab his tamen pœnis

5 Excusat primò Consuetudo locorum, in quibus Constitutiones illæ usu non receptæ, vel non-usu sunt abrogatæ, ut *cit. art. 7. n. 24.* est dictum.

6 Secundò etiam, ubi usu receptæ sunt, ab iis excusantur Religiosi subditi, & alij non habentes Administrationem; quia *cit. Clement. & Extravag. textus* loquitur de Prælati Beneficiatis & alijs obtinentibus Administrationem: quâ cùm illi careant, pœnali & odiosa utriusque dispositione non afficientur, Bonacina *Tract. de Alienat. quest. unâ cap. 5. n. 1.* & Donat. *Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. tract. 14. quest. 89. n. 5.* Quod etsi ita se habeat, etiam illi, si res Ecclesiasticas, quarum administratione carent, distrahere, dissipare aut usurpare præsumant, alijs pœnis sunt mulctandi, Donatus *ibid. n. 6.* Imò Bonacina *l. cit. n. 3.* cum Franc. Leone *Thesaur. Fori Eccles. p. 1. cap. 15. n. 53.* illos affixi existimat Excommunicatione a Concilio Trident. *sess. 22. cap. 11. de Reformat. latâ,* & Papæ absolutioni reservatâ.

7 Tertiò ab iisdem excusantur, qui Alienationem solùm attentant, & Tractatu nondum perfectò, recedunt; quia regulariter pœna imposita facienti, non contrahitur per solam criminis attentionem, Quaranta *in Summa Bullar. V. Alienatio rer. Eccles. n. 50.* & Donatus *quest. 90. n. 1.* An etiam, quem Alienationis contractu ad finem perducto, pœnitet, si illam ante actualem rerum traditionem revocet? Hunc non excusari vult *cit. Bonacina n. 2.* cùm quòd Venditio, Locatio & similes contractus quoad substantiam mutuo consensu contrahentium perficiantur *princ. & §. 1. Instit. de Oblig. ex cons. & l. Consensu 2. princip. ff. de O. & A.* tum verò; quòd ante traditionem completus & consummatus censeatur effectus sub pœnis illis prohibetæ Alienationis:

nationis, isto autem completo & consummato, Censuras contrahi communis sit sensus DD. Ita Bonacina & probabiliter omnino.

Sed, sicut benignior, ita communior, & tam Jure quàm ratione spectatis, probabilior hac de re est sententia Quarantæ & Donati *l. cit.* eum relatis pœnis non obnoxium docentium cum Navarro *Consil. 19. de Reb. Eccles. alien. n. 13.* Covarruvia *lib. 2. Var. cap. 17. n. 7.* & Filliucio *Tract. 14. cap. 7. n. 19.* Et de Jure quidem Antiquiore id satis constat ex *c. Si quis cit.* ubi alienans & Alienationi subscribens etiam post traditionem primùm excommunicandus dicitur, *nisi fortè & Alienator, & qui acceperit, celeri restitutione sibi prospexerint*, indubitato indicio ab Excommunicatione immunem esse, qui contractum revocat ante traditionem. De Recentiore idem desumitur ex *Extravag. cit.* quâ, ut Excommunicatio ab Alienante, & cum isto contrahente incuratur, receptio exigi videtur Verbis: *tam qui alienat, quàm is, qui alienatas res receperit, sententiam Excommunicationis incurrat.* Ratio est; quia pœnæ & maximè Censuræ in facientes latæ non incurruntur, nisi si secutus sit effectus prohibitus sub illis: quod Navarrus *Consil. 37. de Sent. Excommunicat. n. 2.* Suarez *de Censur. disp. 4. l. 3. n. 4.* Coninck *disp. 13. dub. 8. Conclus. 7.* & alij rectè colligunt ex *c. Perpetuò 7. de Elect. in 6.* ex cujus dispositione Jure lata privatio potestatis eligendi non contrahitur solâ collatione suffragij in indignum, etiam scienter factâ, nisi ex ejusmodi suffragijs communis electio indigni sequatur. Cujus argumento *Extravag. cit.* lata Excommunicatio & ceteræ pœnæ non incurruntur, antequam rei Ecclesiasticæ ab uno receptio, ac proinde ab altero traditio sit facta; quia hæ, & non sola contrahentium conventio, effectus sunt prohibiti sub ejusmodi pœnis. Vnde corrui ratio Bonacinæ.

Excusantur quartò, qui res seu bona Ecclesiastica alienant aut recipiunt ex ignorantia v. g. quòd res distractas aut acceptas ad Ecclesiam, Monasterium &c. pertinere non sciant, ut colli-

gitur partim ex verbis, *quicquam alienare presumpserint Extravag. cit.* præsumptio enim denotat dolum, scientiam & temeritatem Navarrus *l. cit.* partim verò; quòd ignorantia, si probabilis est, excuset à peccato mortali: ac proinde à memoratis pœnis, quæ peccatum grave supponunt, Navarrus *Tractatu de Alien. rer. Eccles. n. 14.* Bonacina & Donatus *l. cit.* modo ignorantia non sit supina & crassa; hanc enim non excusare, & scientiæ æquiparari satis constat ex *can. fin. dist. 33. c. Ut animarum, de Constit. in 6. & l. Nec supina 6. ff. de Jur. & facti ignor. Gaill. lib. 2. Observat. 38. n. 15.*

An autem à memoratis pœnis etiã Juris ignorantia excuset, dubium & dubitandi ratio est; quòd Excommunicatione eique similes pœnæ Jure communi latæ, ab ignorantibus contrahi possint. *arg. c. Ut animarum cit.* sententias Censurarum tantum per statuta Ordinariorum latas excipientis. Unde à contrario infertur, Jure Communi Ecclesiastico latas hujusmodi pœnas incurri, vel saltem quoad hoc standum dispositione Juris Communi, Glossa *in c. cit. v. Statuta:* quo spectato Excommunicationem etiã ab ignorantibus incurri, non obscure supponitur *c. Cum illorum 32. §. Circa quos ibi, vel juris ignari nesciant, se Excommunicationis vinculo teneri, & §. Circa reliquos: & cum Claro §. fin. quest. 85. n. 3.* tradit Covarruvias *in c. Alma p. 1. §. 10. n. 9.*

10 Sed etiã ab hujusmodi, five Jus Alienationem prohibens, imò pœnas tantum in malè alienantes eo latas ignorante, si ignorantia crassa & supina non sit, Excommunicationem & reliquas Censuras non contrahi, cum *cit. Navarro Consil. 19. rectè affirmant Quaranta v. cit. n. 9. & 10. Suarez. disp. 4. s. 9. n. 19. Bonacina & Donatus l. cit.* Et quidem, si de ignorantia Juris eam prohibentis loquamur, id satis constat ex textu *Extravag. cit.* pœnis illis prosequenti Alienationis præsumptionem, in hujusmodi ignorantibus deficientem. De ignorantia etiã solius pœnæ Alienationis præsumptioni annexæ, desumi-

tur ex *can. Proposuit §. Sed ea planè dist. 82.* ex cuius dispositione suspensionis vel depositionis pœnâ, in Clericos incontinentes decretâ, non afficiuntur, qui sanctionem illam statuentem ignorant. Ratio est; quia Excommunicatio & ceteræ Censuræ sunt pœnæ Medicinales *c. 1. de Sens. Excommunicat. in 6.* Jure specialiter introductæ, ut sui horrore à contumacia, inobedientia, & contemptu Potestatis Ecclesiasticæ absterreant *c. Ex parte 23. de V. S. & propterea exigunt præviam monitionem c. 1. cit. c. Sacro de sent. Excommunicat. c. Constitutionem & c. ibid. in 6.* qualis intervenisse: uti etiam Ecclesiasticæ potestatis, ab eaque latæ Censuræ contemptor dici nequit, qui ejus comminationem ignoravit, ut ex communi DD. sensu rectè advertit Gonzalez *in c. Cùm illorum cit. n. 3.*

Neque aliud persuadet: imò potiùs favet *c. Ut animarum sit.* cùm quia, si textus iste absolutè de ignorantia ipsius statuti sive Legis Diœcesanæ aliquid sub Censura prohibentis, & non solius pœnæ, ut omnino posse videtur, intelligatur: ex eo ad rem præsentem nihil inferri potest, ut rectè observat *cit. Suarez n. 24.* tum verò, quia ejus dispositio, hoc ipso quod obviet periculis animarum: favorabilis atque idcirco patiens est extensionis & latæ interpretationis, ita, ut nomine Ordinarij, sicut Episcopi: ita etiam Papa, qui est omnium Christi Fidelium & & ipsorum etiam Ordinariorum Ordinarius: ab eoque conditi Canones & constitutiones comprehendantur nomine statuti; Sylvester *V. Excommunicatio 2. & ult. §. 3. c. si Ordinarij & statutorum* textus specialiter meminerit, vel quòd Bonifacius VIII. cujus ille textus rescriptum est, de his specialiter fuerit consultus, vel major de ipsis quàm Constitutionibus Ecclesiæ universalibus dubitandi ratio subesset; cùm hæc faciliùs, quàm propriæ Diœceseos statuta à Fidelibus Dioecelanis ignorentur: propter quam causam Excommunicationem, aliasque Censuras Legge Ecclesiæ universali latas, ab illarum ignavis non incurri, magis exigit dispositionis *cit.* ratio, *ut animarum periculis obvietur.*

Neque

12. Neque *c. Cùm illorum cit.* quia in primis non desunt, quæ
c. Ut animarum cit. textu illo posteriore, hac in re conditum
 Novum Jus, & Antiquo derogatum. velint: apud Barbosam *ibi*
n. 1. Deinde; quia *c. Cùm illorum cit.* dispositio commodè ex-
 plicari potest, & a non paucis DD. solet, de Ignorantia Juris,
 non Excommunicationem infligentis, sed sub Irregularitatis
 pœna prohibentis, ne quis in Excommunicatione Ordines sus-
 cipiat per notata *ibi* ab Innocentio Barbosa *n. 3.* & Gonzalez
n. 3. in fine. Denique; quia ignorantia illa tam Facti quàm Ju-
 ris fuit crassa; cùm circa Factum proprium gravissimùmque, &
 Jus notissimum versaretur, ut alijs relatis observat. Palao *Tract.*

13. 2. *disp. 1. p. 17. n. 6.*

Quintò denique ab iisdem pœnis, etiã ubi supra allegata
 Jura Pœnalia omnia usu recepta sunt, excusantur quicunque
 rerum Ecclesiasticarum, suæ administrationi commissarum,
 Alienatione, ex quacunque alia causa graviter non peccant,
 Quaranta *cit. n. 50.* Ratio est; quia ex una parte Deposito & ce-
 teræ ijs proditæ, omnes valde graves: Excommunicatio autem
 Ecclesiasticarum omnium gravissima pœna est, per *text. c. Cùm*
non ab homine. 10. de Judicys *ibi, Cùm Ecclesia non habeat ultra*
quid faciat: ex altera verò pœnæ commensuratæ esse debent
 culpæ per *text. can. Non afferamus. 24. q. 11. can. Pro qualitate. 26.*
q. 7. c. sicut dignum. 6. princip. de Homicidio, c. Quæsit. 2. De ys,
quæ à majori, & l. Perspicendum. l. 1. ff. & l. sancimus. 22. C. de
Pœnis. Ac proinde, si alienatio ex quacunque causa graviter pec-
 caminosa non est, Excommunicatio & reliquæ pœnæ non con-
 trahentur per ea, quæ ex Navarri *Manual cap. 27. n. 9.* Covar-
 ruviæ in *c. Alma de Sent. Excom. in 6. p. 1. §. 9.* aliorumque DD.
 communi sensu tradunt *cit. Suarez. disp. 4. Sect. 4. Sanchez*
lib. 6. Moral. cap. 4. n. 55. Coninck. disp. 13. dub. 8.

Conclus. 2. & Palao Tract. 29. disp. 1.

p. 7. n. 2.

PARS



PARS III.

De Rerum Ecclesiasticarum Alienatione

in specie.

Alienationis latè, ut in proposito argumento, acceptæ Species plurimæ: ex ijs autem, quæ de Ecclesiarum rebus sine Causa & Forma Canonica prohibentur, præcipuæ, & declarandæ Nobis sunt Conditio, Donatio, Venditio, Permutatio, Precariæ, Locatio & Conductio, Emphyteusis, Feudum & Hypotheca.

ARTICULUS I.

De Conditione.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|--|
| 1. Prælati prohibita Conditio : | 6. Eam ex textu expungendam, erudita; |
| 2. Quâ voce non bene intelligitur Contractus Conditionatus, | 7. Sed neque ipsa satis expedita Opinio. |
| 3. Vel Conditio Testamenti. | 8. Verius significat Pactionem, |
| 4. Malè etiam in Condiçtionem : | 9. De Ecclesia Immobilibus prohibitam, quoties est præjudiciosa. |
| 5. Peius in Conductionem mutatur. | |

Primò itaque, tanquam Species Alienationis, Prælati & ceteris rerum Ecclesiasticarum Administratoribus à Concilio Sylvanæensi, c. Nulli 5. de Reb. Eccles. non alien. relato, prohibita est Conditio, ibi: *Nulli liceat alienare rem Ecclesie immobilem &c. Alienationis autem verbum continet Condiçtionem &c.*

§

quæ

quo nomine qualis actus vel contractus intelligatur, mirâ Expositionum & Divinationum varietate Interpp. laborant.

2 Et primò quidem, in *c. cit.* Glossa *V. Alienationis*, Innocentius §. *Conditionem* & Ant. de Butrio *n. 7.* Conditionis vocabulo prohiberi arbitrantur de ejusmodi rebus initos contractus Conditionatos, sive dispositionem & obligationem conferentes in eventum aliquem futurum v. g. si navis ex Asia venerit: quem ejus intellectum cum Zabarella in *cit. c. § Tertio quæro.* Redoano de *Reb. Eccles. non alien. Rubr. 1. cap. 45. n. 1.* & alijs Fagnanus in *c. cit. n. 38.* rejicit; quòd ceteris Alienationis exemplis *cit. c.* textu Conditioni subjectis, sicut purè: ita etiam sub conditione initi contractus contineantur, & prohibeantur; cùm, quando initur sub Conditione, hâc adveniente perinde sit, ac si purè initus ab initio fuisset, per text. & Gloss. in *c. Præerea 4. V. Impedire, de Appellat.*

3 Secundò aliqui cum Quintino in *Reperit. c. cit.* subintelligi volunt vocem *Testamenti* ita, ut Prælati Testamentum condere sive de rebus Ecclesiæ Immobilibus & mobilibus Pretiosis per ultimam voluntatem disponere prohibeantur; cùm dispositio, quæ per Testamentum fit, Alienatio dici possit, secundùm Bartol. in *Auth. Quæ res subjaceant C. Communia, de Legatis n. 5.* Sed hanc, tanquam merillimam divinationem, meritò confutat Germonius *lib. 2. Animadvers. cap. 20.* quia, ut præmittamus, quòd Testamenti-factio, Clericis non de Immobilibus tantùm & Pretiosis, sed mobilibus etiam alijs, non ipsarum duntaxat Ecclesiarum, sed harum intuitu quidem acquisitis, sed tamen proprijs ipsorum bonis prohibita sit: sub Rubrica de *Reb. Eccles. alien.* nulla uspiam mentio fit Conditionis: neque ullo alio canone Testamentaria dispositio illius nomine est expressa.

4 Tertiò alij pro voce *Conditio* legendum existimant *Conditio*. Sed planè vitiosè; cùm Conditio sit actio, quâ jus nostrum in judicio prosequimur §. *Appellamus. 15. Instit. de Actionibus*

Et ionibus & l. Actionum 25. ff. de O. & A. Eam autem pro Alienatione accipi, in Scholis inauditum & apud DD. nunquam lectum sit, *Zæsius Comment. in Decretal. lib. 3. tit. 13. n. 2. & Wagnereck in Exegetic. Nulli cit.*

Quartò rursus alij, teste Innocentio *l. cit.* mendum in textum irrepisse putant: & *Conditionis* vocem *Conductioni* substitutam. Sed hæc ipsâ interpretatione literam corrumpi, idem queritur. Et jure optimo; quia *Conductio*, neque *Alienatio*, neque *prohibita*: imò à Jure ferè permixta est *Prælati*. Si etiam voce *Conductionis* substituta, res *Ecclesiarum Immobiles*, quemadmodum donari, vendique & permutari: ita etiam locari prohibitas asserant, literam omnino falsam reddunt; cùm, etsi *Moderno* ultra triennium *Extravag. Ambitiosa, de Reb. Eccles. alien.* Antiquiore tam en Jure ad longum duntaxat tempus extensa *Locatio*, rerum *Ecclesiasticarum Administratoribus* fuerit interdicta per text. *c. Vestra 2. de Locato c. fin. Ne Prælati vices, & Clement. 1. de Reb. Eccles. alien. in fine.*

Quintò, propter has rationes de Interpretatione, à Jure aut ratione non alienâ, penitus desperantes *Cuiacius, Antonius Augustinus in c. cit. in fine, Germonius cap. 20. cit. & lib. 3. de Sacror. Immunit. cap. 17. n. 97. & cum ipsis Gonzalez in c. cit. n. 6. in fine, Conditionis* vocabulum ab hoc textu omnino rejiciendum censent; partim quòd nullâ alia sanctione Canonica vel Legali decisione, quâ de rerum *Ecclesiasticarum Alienatione* agitur, expressum reperitur: partim verò; quòd in *Novell. 7. cap. 1. & Constitutione 7. Justin. Imp. cap. 1. unde c. cit.* textum in *Capitalaria Lotharij Lib. 2. cap. 29. & supra laudatæ Synodi acta*: atque ex his in *Jus Ecclesiasticum* à *S. Raymundo* Compilatore translatum *cit. Gonzalez n. 1.* refert, vocabulum illud non extet; ut patet ex ejusdem *Constitutionis* tenore, quem subijcimus. *Ergo his omnibus non liceat alienare rem Immobilem, sive domum, sive agrum, sive rusticam mancipium vel paves civiles, nec Creditoribus sive specialis sive generalis hypotheca titulo ob-*

ligarè. Alienationis autem verbum contineat Venditionem, Donationem, Permutationem & Emphyteuseos perpetuum contractum. Unde omnes Sacerdotes hujusmodi Alienatione abstineant; pœnas timentes, quas Leonina Constitutio minatur. Sed etiam hæc, quantumvis ob Eruditionis accurationem sine commemorationis Laude non prætermittenda Opinio, non caret difficultate; quia à S. Raymundo Decretalium compilatore, sicut in Imperatoria Constitutione expressi Panes civiles, & Hypothecæ generalis mentio omiſsa: contrà verba nulli & Ecclesia suæ, in illa non contenta, adjecta sunt: ita etiam transcripto, & in Decretalium compilationem, Gregorij Papæ IX. autoritate confirmatam, translato textui Conditionis vocabulum studiosè appositum potuit fuisse. Vnde

- 8 Sextò denique Cironius in *c. cit. Conditionis* vocem, sicut passim legitur, incorruptam retinendam: eaque significari docet *Pactiōnem* sive *Conventionem*; Conditio enim pro Pacto sumitur *l. Societatem mecum coſti eâ conditione 76. ff. Pro socio l. Sed Celsus 6. §. fin. ff. de Contrahenda empt. & l. Debitori 6. ibi, eâ Conditione Pactoque C. de Pactis.* & stare Conditionibus idem est, quod Pacta servare apud Ciceronem *lib. 16. ad Tironem*, ibi, *Si illi suis conditionibus stare noluerint, bellum paratum est.* Prohibita itaque ex istius Interpretis mente *c. Nulli civ. per V. Conditio* est super rebus Ecclesiæ Immobilibus & mobilibus Pretiosis omnis Pactio sive Conventio: quâ, citra utilis aut directi dominij translationem, illi præjudicium afferri potest: cujusmodi esset, qua super ejusmodi rebus usufructus, usus vel alia servitus realis constitueretur; quia sic alienare Prælati videretur juxta *l. fin. C. de Reb. alien. non alien. can. Non liceat Papæ 12. q. 2.* Quæ doctrina & expositio, sicut Juri & rationi conformis: ita etiam non destituta est autoritate; cum satis clarè tradatur ab August. Beroio in *c. cit. & Redoano cit. cap. 45. n. 2.* pro eaque allegari posse videantur, qui *Conditionis* vocabulo, ne Ecclesiarum res reddantur Tributariæ, aliisque similibus oneribus gra-

graventur, prohibitum volunt cum *citt.* Innocentio Butrio, Zabarella & Joan. ab Imola in *c. cit. n. 7.*

ARTICULUS II.

De Rerum Ecclesiasticarum Donatione.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|--|
| 1. Pralatis permiffa est Donatio rerum Patrimonialium. | Tutorem & Prælatum. |
| 2. Et Beneficialium remiffivè. | 9. Ifti competens modica donandi facultas utilis est Ecclefia. |
| 3. De Bonis Ecclefiarum & Monafteriorum, dubitandi ratio. | 10. Qua Donatio modica aut immoderata? |
| 4. Immobilia ex causa tantum, & cum Solemnitatibus donant. | 11. Hec etiam cum Capituli confenfu illicita est: |
| 5. Immoderata Donationes Prælatis illicita. | 12. Facta tamen de Jure fubfiftit: |
| 6. Licita moderata ex causa Remuneracionis &c. | 13. Nifi Immobilium diftractio- nem inducat. |
| 7. Et merè liberales modica. | 14. De Donatione Religiofis fpecialiter interdita. |
| 8. Notabiles differentia inter | |

Secundò, præ reliquis Alienationibus interdita iisdem est Donatio; quòd rerum jactationi valde propinqua & Patrimonij maxime fit periculofa. Qua in re tamen opus est diftinctione aliquà inter Res, five Bona. Et imprimis quidem bonorum fuorum Patrimonialium vel-quafi, Donationes quas- cunque Ecclefiarum fæcularium Prælatis, rerumque ad eas pertinentium Administratoribus & Clericis quibuscunque per- inde ut Laicis permiffas effe res est omnino indubitata. Quas facere de redditibus fuis Beneficialibus, de Jure & Confuetudine poffint *p. 1. art. 7.* toto est explicatum. De Bonis autem five rebus temporalibus ipfarum Ecclefiarum, Monafteriorum &c.

&c. dubium & magni in praxi momenti controversia est: quæ oritur ex generalitate prohibitionis Leoninæ sine exceptione decernentis, *Ne quis Episcopus de rebus Ecclesie suæ quicquam donare &c. audeat, can. Sine exceptione 12. q. 2 & c. Cum Apostolica 7. De ijs quæ à Prælat. & c. Nulli 5. de Reb. Eccl. alien. relat. e.* Quibus consonant textus *c. 1. & c. Tua 8. De ijs quæ à Prælat.* illarum Donationes, imò venditiones & commutationes, sine justa causa & Solennitatibus factas, irritantes: quorum eisque similium Canonum dispositionibus, ut Prælatorum aliorumque Administratorum Ecclesiasticorum donandi libertas nimium constricta, aut omnino adempta non videatur: operæ pretium erit, si inter ipsa Ecclesiarum Bona, & ipsas etiam istorum Donationes iterum distinguamus.

4 Bona enim sive res illarum immobiles, & his æquiparatas mobiles Pretiosas, sicut merè liberaliter, & sine necessitatis, evidentis utilitatis vel alia simili justa causa, & Canonicis Solennitatibus donari non posse, ex *text. cit.* ita justâ aliquâ causâ exigente vel suadente & Juris Solennitatibus intervenientibus, donari posse, ex *can. Quicumque, q. 2. cit. & c. Per tuas 5. de Donat. cum Panormit. ibi n. 6.* desumunt Laiman *Tract. de Alienat. Rev. Eccles. cap. 5. §. 8. n. 112.* & Pirrhing *Method. Juris Canon. lib. 3. tit. 24. n. 11.*

5 De rebus etiam, & alijs ejusmodi mobilibus non Pretiosis, sicut Remunerationis sive Pieratis & Misericordiæ vel alia simili causâ, moderatas & meritis commensuratas, & si modicæ sint, etiam merè gratuitas Prælati communi sensu DD. permittunt: ita immodicæ sive magnæ quantitatis Donationes eis à Jure permittas meritò negant & propter *text. c. Fraternalitatem 2. de Donationibus*, ubi ratio redditur; quòd Prælati, etsi bonorum seu reddituum Ecclesiasticorum generalem & liberam habeant administrationem, illorum tamen careant Dominio: & Ecclesiæ conditionem meliorem facere debeant, non deteriorem: quod posterius fit magnæ quantitatis, & merè liberali donatione;

natione; quia donare perdere est *l. Filius 7. princip. ff. de Donat.*
& *l. Ordinem 2. C. de Consul.*

Remuneracionis contrà, vel aliâ v. g. Pietatis & miseri- 6
cordiâ causâ, Donationes moderatas eis permitendi ratio fuit;
quòd hujusmodi Donationes, cùm justa ratione nitantur, ex
quadam obligatione & necessariò fieri censeantur, arg. *c. 1. de*
Donat. l. Filius cit. §. 1. & l. Sed etsi §. 11. ff. de Petit. hered.

Merè liberales autem, si modicæ sint; cùm propter Con- 7
suetudinem universalem fere omnium Ecclesiarum: quarum
Prælati & Rectores modica seu minima donare passim solent,
teste Laiman §. *cit. n. 114.* & Pirrhing *cit. Tit. 24. n. 14.* tum ve-
rò, quòd hoc exigere videatur libera administratio: quam in
Ecclesiæ rebus Prælati habet: & per hujusmodi rerum Dona-
tiones non solum evitetur suspicio avaritiæ, cui Personæ Ec-
clesiasticæ al quando obnoxia sunt: sed istarum bona existi-
matio & hominum erga ipsas benevolentia studiùmque liberali-
tatis erga Ecclesias & Monasteria conservetur.

Neque obstat; quòd Prælati aliique Administratores Ec- 8
clesiastici æquiparentur Tutoribus, Steph, Gratianus *Discept.*
Forens. Tom. 4. cap. 601. n. 6. & Gutierrez *de Tutelis p. & cap. 1. n. 8.*
qui de rebus Pupilli donare nihil possunt, nisi ex causa justa: ob
quam in illius utilitatem cedere videtur *l. Tutor 13. §. 2. & fin.*
ff. de Administ. Tut. & l. Pactum Curatoris 22. C. de Pactis. Non
inquam obstat: quia, ut silentio prætermittatur, quòd parvas
Donationes etiam his permissas alijs relatis velle videatur *cit.*
Gutierrez *p. 2. cap. 6. n. 10.* etsi Tutor & Prælati in multis æqui-
parentur: in alijs tamen notabiles differentiæ inter eos interce-
dunt, ut Glossa à DD. passim recepta in *can. fin. V. Quia Episco-*
pus 5. q. 3. advertit. Primò enim Tutor est temporalis, sive ad
tempus datus *Princip. Instit. Quibus modis tutela fin. & l. fin. C.*
Quando Tut. vel Curat. esse desinunt: Prælati autem fere perpe-
tuus; cùm Prælatura, sicut cetera Beneficia Ecclesiastica, confe-
ratur in Titulum; & Prælato, dum vivit, non auferatur, per
text:

- text. *can. Sanctorum* junctâ Glossâ *V. Perpetuo dist. 7. c. Ex parte 5. de Clerico agrot. & c. Si graciosè* junctâ Glossâ *fin. de Rescript. in 6. Secundò Tutor non utitur nec fruitur rebus Pupilli arg. l. à Tutoribus 33. §. fin. & l. Qui negotiationem 58. princip. ff. de Administ. Tut. Prælatus autem sæpè (quando scilicet distinctos non habet) ex redditibus Ecclesiæ & Monasterij accipit sustentationē: & propterea Utufructuario vel saltem usuario comparatur, secundum notabilem Glossam *in c. fin. V. Reservari de Off. Ordin. in 6. Menochium de Arbitr. jud. lib. 2. casu 433. n. 35. Petr. Barbosa in l. Divortio princip. ff. Soluto Matrim. p. 2. n. 27. & 53. Tertiò Tutela, si non, ut quidam volunt, tantum Onus, sed munus Publicum & honorificum l. 1. ff. de Munerib. & honor. & l. Testamento 51. ibi ab honore administrandi ff. de Manumiss. Test. non tamen Dignitas est, ut Prælatura; Prælatus enim Præminentiam cum Jurisdictione externa & in Ecclesiæ suæ bonis liberam & generalem, multoque ampliorem potestatem habet, quàm in Pupilli rebus administrandis Tutor aut Curator, Glossâ *V. Quia Episcopus cit. Barbosa in l. Filiofamilias 26. §. fin ff. Soluto Matrim. n. 22. & Gutierrez cap. 1. cit. n. 9. Ut adeo mirum non sit, quòd modica etiam merè liberaliter donandi facultas, etsi Tutori negetur; Prælato tamen tribuatur, præsertim; quia ut dictum, per eam Laicorum in Prælatos & commissas ipsis Ecclesiis Benevolentia & Beneficentia conservatur: propter quam causam ita donandi facultatem Ecclesiæ utilem, cum Laiman *cit. n. 114. censet Pirrhing cit. Tit. 24. n. 14.****
- 9 Porro quænam magnæ & immoderatæ, vel modicæ & Prælatis permixtæ Donationes sint: Viri prudentis, Ecclesiæ facultates & qualitates tam Donantis quàm Donatarij, istius merita vel indigentiam aliàsque, circumstantias ponderantis, æstimationi & arbitrio relinquendum, ijdem censent cum Redoano *de Rebus Eccles. non alien. Rubr. 33. casu 27. §. Quæ verò n. 1.*
- 11 Dubium hîc moveri solet, de merè liberali & immodica donatione à Prælato facta cum consensu Capituli. Quam tanquam

quam Prodigalitem, illicitam esse convenit inter omnes. D. l. fensio tamen inter eos est de valore; illam enim perinde, ut quæ de Immobilibus, aut Pretiosis in casu non licito facta est, pro invalida habet Glossa in c. *Fraternitatem cit. V. Inconsultis*, ubi subintelligendam ait Vocem *maximè*, vel *praesertim*, aut aliam similem, implicativam casus magis dubitabilis: quo ejusmodi gravis & Ecclesiæ damnosa Donatio cum Capituli consilio & consensu fit. Eandem, tanquam irritam, rejicere Panormit. in c. *cit. n. 5.* & omnino rejiciendam suadere videtur ratio; quod, ut Prælati licitè & validè donet, *can. Sine exceptione cit.* difertè exigatur, *ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu atque consensu id eligat*, sive justa causa & Solennitas: quarum, etsi posterior in proposito casu non desideretur, deficere tamen hoc ipso, quod Donatio sit immodica, ponatur prior, sive utilitatis vel alia similis causa.

Contra in *cit. c. Joan. Andree in fine*, cujus opinionem ¹² Laiman *l. cit.* benigniorem, Pirrhing. *ibid. n. 15.* probabiliorē vocant, eam pro valida habet; partim quod *c. Fraternitatem cit.* tanquam irritæ rejiciantur ejusmodi Donationes ab Episcopo factæ, *suis Canonicis inconsultis*. Vnde factas, illorum consilio & consensu interveniente, validas esse inferitur arg. à contrario: cujus in Jure magna vis est *l. 1. princip. V. Hujus rei ff. de Off. ejus cui mandata &c.* quando eo illati contrarium Jure non expressum, & ex eo non sequitur iniquitas aut absurdum, Menoch. *de Prasump. lib. 3. pres. 93. n. 5. & consil. 120. n. 31. & alij apud August. Barbofam Argument. Juris loco 27. n. 1. 5. & 35.* partim verò; quod Prælati eum Capitulo representet Ecclesiam vel Monasterium, eique agendo & contrahendo obesse possit.

Neque obstat *can. Sine exceptione cit.* quia eum de Immobilibus intelligendum non obscure desumitur ex textu: cujus ¹³ argumento excipiendus hic est casus, quo immodica ejusmodi Donatio induceret necessitatem distrahendi Immobilia, aut mobilia Pretiosa; cum enim istorum Alienatio ad sui valorem,

T

præter

præter Solennitatem, etiam Utilitatis aliâve similem causam exigat: Donatio immodica, illarum distractionem inducens, utique non subsistet, Laiman & Pirhing *l. cit.*

¶ 4. Haftenus de rerum Ecclesiasticarum Donationibus tradita, non solum in Prælatiſ secularibus, sed etiam, & ex parte multò magis in Abbatibus, Prioribus, aliisque Regularium utriusque Sexûs Præpositis & Superioribus locum habent; etsi enim isti, vi generalis & liberæ Administrationis sibi competentis *can. Nullam* 18. q. 2. de Monasteriorum &c. suorum Mobilibus & non-pretiosis rebus largiri elemosynas, & Misericordiæ, Pietatis hisque affinium Virtutum intuitu: imò etiam Gratitude, Remuneracionis, vel aliâ simili causâ Donationes moderatas facere, & à statu suo non aliena munuscula dare licitè possint: Largitiones tamen sive Donationes immodicas, graves, & notabiles etiam facere ipsi eorûmque subditi Religiosi prohibentur, & factæ omnino irritantur: easque facientes, præter mortalis peccati reatum & restitutionis obligationem, incurrunt pœnas Constitutionibus Apostolicis, de *Largitione munerum Regularibus utriusque Sexûs interdicta*, à Clemente VIII. quæ incipit *Religiosa*. 13. Calend. Julij 1594. editâ latas, & ab Urbano VIII. quæ incipit *Nuper*. 16. Octob. 1640. editâ, declaratas. Cujus à summis his Ecclesiæ Antistitibus innovatæ firmatæque prohibitionis ratio non ea duntaxat fuit; quòd per ejusmodi largitiones à Religiosis, tam Prælatiſ quàm subditis, factas, res & Bona in Divinum cultum istiusque Ministrorum necessitates & alimenta pauperum impendenda, contra Fundatorum aliorûmque Fidelium ea offerentium intentionem dilapidentur & dissipentur: sed etiam; quòd Religiosæ Paupertatis Votum & Vitæ fundamentum convellatur: & Ambitionis, aucupandæ gratiæ, aliisque à sanctissima illa Professione & Perfectionis via omnino alienis studijs excitatis, disciplinæ Regularis observantia relaxetur, Donatus *Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. tract. 15. q. 2.* & Carol. Anton. *Theaur. de Pœnis Eccles. p. 2. cap. 10. v. Mœvera, in fine.*

ARTI.

ARTICULUS III.

De Hæreditatis aut Legati, Ecclesia vel Monasterio relictæ, Repudiatione.

SUMMARIUM.

1. *Illæ semel aditæ &c. sine Solennitatibus invalidè repudiatur.*
2. *Ante aditionem, idem docentium opinio;*
3. *Quòd Repudiatio sit Alienatio,*
4. *Ecclesiæ jam quæsita rei Immobilis,*
5. *Aut saltem Juris ad eam;*
6. *Cujus Repudiatione deterior sit conditio Ecclesiæ;*
7. *Cui in dubio favendum, sicut Pupillo,*
8. *Legatum sine Præatore invalidè repudiante.*
9. *Sententia DD. Repudiationem Prælato quidem fere illicitam;*
10. *De Jure tamen validam censentium.*
11. *Et 16. Quòd Hæreditas ante aditionem non sit res Ecclesiæ absolutè quæsita;*
12. *Neque ejus Repudiatio Alienatio;*
13. *Aut ullo Jure sit irritata;*
14. *Ac proinde in dubio standum pro valore.*
15. *Pupillo ejus etiam ommissio interdicitur.*
17. *Ecclesiæ Repudiatione lesa restituitur.*
18. *Differentia inter Prælatum, & Tutorem ac Pupillum.*
19. *Valet Repudiatio in favorem succedentis aliunde,*
20. *Quàm ex sola Prælati Renuntiatione.*
21. *Momentanea considerantur, quando producunt effectum Juris.*

Tertio tanquam Alienationis, Donationi propinqua, species Prælatis interdicta videri potest Hæreditatis, aut Immobilis vel Pretiosæ rei, Ecclesiæ vel Monasterio legatæ, Repudia-

puclatio. Quod an generaliter ita, aut aliter se habeat, expediet, aut saltem dubitandi rationem aperiet distinctio inter duos ejusmodi rerum status vel casus.

Et Hæreditatem quidem jam aditam, & ejusmodi Legatum jam acceptatum, repudiari à Prælato sine justa causa & Canonica Solennitate non posse, non scimus, qui inficietur; cum enim ex una per aditionem Hæreditas, & Legatum per acceptationem evadant res sive bona Ecclesiæ, Monasterij &c. ex altera verò parte, istorum bona sive res Immobiles & mobiles Pretiosæ, Prælatorum liberæ Alienationi non subijciantur, per text. *can. Sine exceptione* 12. q. 2. c. 1. c. *Tria* 8. De ijs qua à Prælato. c. *Nulli* 5. de Reb. Eccl. alien. c. 1. in 6. & *Extravag. Ambitiosa*, eodem Tit. &c. utique repudiari & abdicari sine justa causa & Juris Solennitatibus non valebit Hæreditas vel Legatum post aditionem vel acceptationem, ut ex communi omnium sensu advertit Palao *Tract.* 12. *disp. unica* p. 15. §. 1. n. 9.

An autem illa nondum adita, & hoc nondum acceptatum liberè repudiari à Prælato possint, dubium & controversia est magnis in utramque partem militantium, tam DD. quàm rationum studijs & momentis, diu multùmque agitata; hanc enim potestatem ei cum Geminiano *in c. 1. de Reb. Eccl. alien. n. 19.* negant Quaranta V. *Alienatio Rer. Eccl. n. 23.* Everardus *loco legali* 31. n. 2. Barbosa *de Off. & Potest. Episc. alleg.* 95. n. 54. & Molina *Tract.* 2. de 1. & 1. *disp.* 468. n. 10. Azor p. 2. *Instit.* lib. 9. cap. 1. *quest.* 12. *in fine.* Filliucius p. 3. *tract.* 44. cap. 9. n. 34. & nonnulli alij.

Moventur primò & præcipuè; quòd ex una Prælatis prohibita sit Alienatio Immobilium & mobilium Pretiosorum, quæ servando servari possunt *can. Sine exceptione, c. Nulli, aliisque text. allegat.* ex altera verò parte Repudiatio Hæreditatis aut Legati, Alienatio sit, per expressum text. *l. Magis puto* 5. §. 8. ff. de Reb. eorum qui sub Tut. ubi Pupillo fundi sibi legati Repudiatio sine autoritate Prætoris negatur: ejusve ratio ab Ulpiano redditur;

redditur; esse enim & hanc Alienationem, cum res sit Pupilli, nemo dubitat: cujus in proposita controversia vis non enervatur, nobis opponendo, id procedere in Pupillo, quod careat Administratione; quia JCTi ratio non fundatur in Administratione, sed eo, quod res sit Pupilli: cum ergo, sicut istius, ita Ecclesiæ sit, quod ipsi est legatum, hoc repudiari, sicut à Pupillo sine auctoritate Prætoris: ita à Prælato sine Solennitatibus non potest. Confirmatur hoc argumentum: & ratio est

Secundò; quia favore Ecclesiæ Legatum in Ecclesiam vel Monasterium transit ipso Jure, etiam absque traditione *l. fin. C. de SS. Eccles.* Imò generaliter quodlibet Legatum in specie relictum à morte testatoris, in dominium Legatarij transit: neque Hæreditatis aditionem oportet expectari *l. Legatum 80. ff. de Legatis. 2. & l. à Titio 64. in fine ff. de Furtis.*

Tertiò, quæ Molinæ & omnium maximè urgens ratio est; quia sine justa causa & Solennitatibus alienari, prohibita sunt non tantum ipsæ res sive Immobilia & mobilia Pretiosa: sed etiam jura ad ejusmodi res, cujusmodi sunt debita omnia ejusmodi rerum, & actiones ad illas, Gloss. *in c. Hoc consultiſſimo 7. Jura de Reb. Eccles. alien. in 6. Panormit. in c. Nulli cit. n. 9 & 10. Barbosa ibid. n. 3.* Cum ergo ad delatam hæreditatem & legatum sibi relictum Ecclesia ex dispositione Testatoris jus & actionem habeat ante acceptationem aditionemve, *l. 1. l. Omne 2. C. Communia de Legatis:* illam & hoc, si rei Immobilis vel Pretiosa sit, sine Solennitatibus Prælatus invalidè repudiabit; cum Repudiatio ista reverà Alienatio sit, si non ipsarum rerum à Testatore relictarum, saltem ipsius juris & actionis illas respicientis: quæ Prælati Repudiatione Ecclesia amittit.

Quartò; quia Prælatus conditionem Ecclesia meliorare potest: *6*
facere verò deteriore non debet, textus est *c. Fraternitatem 2. de Donat.* Imò nec potest, secundum *c. 1. de In integ. restit.* Gratianum post *can. fin. §. Si ergo 16. q. 6.* qui textus, sicut loquuntur, generaliter de rebus Ecclesiæ quibuscunque sunt intelligendi:

gendi: & non ad jam quæsitæ restringendi, juxta Regulam *l. De pretio §. ff. de Publ. in rem, act. & can. Consulisti §. & quod 2. q. 5.* Confirmatur; quia Prælatus Ecclesiæ suæ debet acquirere: idque, cum posset, non faciendo, tenetur instar Tutoris *can. Quicumque*, vindicta Glosâ *V. Aut neglectum 12. q. 4.* qui per negligentiam suo Pupillo non acquirens ad restitutionem obligatur *l. Quicquid 7. C. Arbitr. Tutela, Gloss. cit. Panormit. in c. Tua cit. n. 9. & Jason in l. Legatum. 7. ff. de Legat. 1. n. 19.*

7 Quinto; quia in dubio favendum est Ecclesiæ, arg. *l. Sunt Personæ 43. ff. de Relig. & sumpt. fun.* cum, ut ibi in fine dicitur, *summa ratio sit, que facit pro Religione*: neque minus quam Pupillo, à quo ad illam translatum argumentum pro valido habent Everardus *l. cit. & Barthol. Perret. in Extravag. Ambitiose cit. V. Quicquam n. 23.* cum ergo à Pupillo sine Prætoris: etiam ab Ecclesia per Prælatum sine Capitulo facta Repudiatio, Alienatio erit, & de Jure non subsistet arg. *l. Magis puto 5. §. 8. cit. Ita & valde probabiliter ista.*

9 Alij contra, etsi ejusmodi Repudiationem, quæ Ecclesiæ vel Monasterio damnosa, aut aliàs magni momenti est, illicitam, per text. Gloss. & DD. *in c. Novit. 4. De ijs que à Pralat. & repudiantem ad refarcitionem damni, vel potius lucri neglecti compensationem obligari, haud ægrè concedant, argumento can. Quicumque 12. q. 4.* ibi *Si neglectum laboris exhibuit, aut minorationem vel perditionem induxit, restituat*, Gloss. ibi, *V. Aut neglectum*: actum tamen validum, & repudiantem pœnis *can. Non liceat Papa, can. Apostolicos §. Quisquis 12. quæst. 2. c. Si quis 6. & Extravag. Ambitiose de Reb. Eccles. alien. decretis non obnoxium probabilitate non minori, ut nobis videtur, defendunt cum Panormit. in c. Tuacit. n. 8. Frid. de Senis Consil. 8. Sylvestro V. Alienatio quæst. 19. n. 18. Rebuffo Compend. Alienat. n. 73. in fine, Gomez lib. 2. var. cap. 14. n. 13. Riccio in Praxi decis. 96. & Pirrhing Method. Juris Canon. lib. 3. Tit. 13. n. 41. Quibuscum ex TT. sentiunt Lessius lib. 2. de l. & l. cap. 24. n. 65. Sanchez lib. 6. de*

6. de Matrim. disp. 4. n. 11. & 12. Laiman. lib. 3. tract. 4. cap. 10. n. 7. Bonacina disp. 3. de Contractu Feudi. q. 8. p. 4. n. 38. Palao cit. §. 1. n. 11. & alij calculo frequentiori: itaque Romanam Rotam sæpius censuisse, testis est Donatus tom. 1. Prax. Regul. p. 2. tract. 14. quest. 59. n. 8. quantumvis ipse contrariæ opinioni non obscure adhæreat.

Ratione duplici nituntur. Una est; quòd Hæreditas Ec-
clesiæ delata sed non adita, & Legatum ei relictum quidem,
sed nondum acceptatum, non sint Jus Ecclesiæ quæsitum, sed
primùm quærendum per aditionem vel acceptationem: per quam
Ecclesiæ vel Monasterio incorporata, inter ejus Bona Immo-
bilia computentur, *l. Pretia 63. princip. §. Sed nec heredem ff. ad
Legem Falcid.* Ipsum etiam jus & actio, Hæreditatem aut Lega-
tum respiciens, non sint absoluta, sed conditionata: à nostra
voluntate pendentia ita, ut facta Repudiatione, nunquam fuisse
nostra convincantur *l. 1. §. 6. ff. Si quid. in fraudem Patroni ibi,
Legatum, cum repudiatur, retro nostrum non fuisse palam est.* In
jure autem primùm quærendo Prælati Ecclesiæ vel Monaste-
rio obesse possit, secundùm Gloss. *in can. sin. & §. Si ergo cit. v.
Meliozem ibi, Hoc verum est in acquisitis, secus in acquirendis, &
c. Fraternalitatem 2. v. Non debet de Donat. ibi, in faciendo, sed
omittendo tamen potest.* Altera; quòd Prælati Interdicta sit
Alienatio: Repudiatio autem propriè non sit Alienatio, sed
solummodo non-acquisitio *l. Alienationis 28. v. Qui occasio-
ne ff. de v. s. & l. Si Sponsus 5. §. 13. ff. de Donat. inter vir.
& uxor.* Ubi à marito facta Repudiatio hæreditatis, ut uxori
obveniat, Alienatio aut inter conjuges prohibita donatio non
censetur: & si Alienatio censeretur, in fraudem creditoris alie-
nare dicendus esset debitor, si Legatum sibi relictum repudiaret,
contra text. *l. Quod autem 6. §. 2. ff. Quæ in fraudem credit.*

Confirmantur ista primò; quia penes Episcopum & alios, 13
tam Regulares quàm Seculares Prælatos generaliter est tota Ad-
ministratio Ecclesiarum & Monasteriorum, rerumque ad ea per-
tinentium

inentium, juxta dicta p. 1. art. 2. à n. 2. ita, ut quæcunque circa has dispositio ipsis permiffa aut valida fit, nifi Jure prohibita aut irritata reperiatur, arg. c. *Cum apud* 23. junctâ Gloff. V. *Prohibitorium*, de *Sponsal.* & l. *Mutus* 43. §. 1. junctâ Gloffâ V. *Edictum ff. de Procurat.* Cùm ergo Hæreditatis aut Legati repudiationem ipsis interdiktam, aut faltem pœnis obnoxiam, vel irritam esse, Jure expressum non fit: permiffa aut faltem à pœnis text. p. 1. art. 9. à n. 2. relatis immunis, & valida erit.

14 Confirmatur secundo; quia actus & dispositiones quæcunque in dubio validæ cenferi debent, ll. *Quoties* 80. ff. de *V. O.* & 12. ff. de *Reb. dub.* ideóque omnis interpretatio admittitur ad eas sustinendas, Tuschus *Prætic. V. Actus, Conclus.* 36. n. 1. & 14. & quæ pro illius valore militat, ceteris fortior præsumptio cenferetur, per ea, quæ arg. ll. *Quoties cit.* in suis *Tract. de Præsumpt.* tradunt Alciatus *Reg. 3. præf.* 35. & Menoch. *lib. 3. præf.* 29. n. 45. Cùm ergo propositæ Renuntiationis sive Repudiationis valor & nullitas maximè dubia fit, pro valida haberi debet.

15 Argumenta in contrarium allata, etsi non parum urgeant: negantium tamen Opinionem præferendam non persuadent. Prima & Quarta; quia Pupillo non tantùm Alienatio propriè accepta, quæ in alicujus rei vel Juris jam quæfiti abdicatione: sed etiam impropriè dicta, quæ in primùm quærendi omissione consistit, sine Authoritate Prætoris est interdiktâ, Gomez *cap. cit. n. 14.* & Sanchez *n. 12. cit.* In Prælati autem aliud obtinere suadent Jura, ipsis tribuentia ampliffimam Administrationem: cum Gloffa tradunt DD. nomine & numero potiores: & firmant supremi Ecclesiæ Tribunalis decisiones. Confirmatur; quia Emphyteuzæ Ecclesiastico per biennium canonem non solventi, solus Prælatus, illum postea oblatum acceptando, caducitatem remittere: itaque Ecclesiæ non acquirere potest, ex doctrina Panormit. in c. *fin. de Locato* n. 15. Zabarella *ibid.* & Jatonis in l. *Legatum cit. n. 22.*

Secun-

Secunda & tertia ratio; quia Legatum, ejusque acceptan- 16
 di & Hereditatis adeundæ Jus non est absolutum, sed pen-
 dens à tacita conditione, *si placuerit*: ac proinde revocabi-
 bile: & tale, quod inter Heredis aut Legatarij bona nequeat
 censerit *l. Pretia, v. Sed nec cit.* cum Legatum, sicut retrò nostrum
 est, si non repudietur: ita si repudietur, retrò nostrum non sit
l. 1. §. 6. cit. & per Repudiationem Ecclesiæ quæsitæ Res & Jus
 amissum, & de ipsius Patrimonio aliquid alienatum non censea-
 tur, arg. *l. Si Sponsus 5. §. 13. cit. l. Quod autem, §. 6. cit.*

Neque quinta & ultima; partim, quia Ecclesiæ patet recursus 17
 ad beneficium restitutionis in integrum; ac proinde indemnitas
 servari potest, quantumvis Prælati Repudiatio de Jure subsistat:
 partim verò; quia Prælati Administrationem, quâ Pupillus
 caret, & multò ampliorem, quàm Tutor, habet, juxta dicta 18
art. 2. n. 8. Cum ergo firmissima sit præsumptio, quæ militat
 pro valore actûs, standum erit pro valore Repudiationis: quo,
 ipsâ illæsâ, Prælati existimatio conservatur. Sed hinc

Aliud, nec leve dubium nascitur, de valore Repudiationis 19
 à Prælato factæ in favorem alterius. Et quidem, si iste Ec-
 clesiæ vel Monasterio substitutus, vel etiam ab intestato hæres
 esset futurus: ejus intuitu & favore factam subsistere arg. *l. Si
 Sponsus, §. 13. cit.* haud ægrè concedent fere quotquot stant pro
 valore simplicis Renuntiationis.

Eandem autem in favorem alicujus, aliàs non successuri, 20
 factam subsistere, contra Phanuc. de Phanucijs *De lucro Doris*,
 Gloss. 8. n. 18. & Socinum Seniores *Consil. 53. n. 27.* cum Bar-
 tholo in *l. Qui autem 6. cit. princip.* & Ripa in *l. Si unquam C.
 De revocand. Donat. quest. 11. n. 21.* & alijs JCTis meritò negat
 Sanchez *cit. disp. 4. n. 17.* & Rotæ decis. firmat. Thom. Delbene
de Immunit. & Jurisdic. Eccles. cap. 17. dub. 6. & 26. Ratio est;
 quia hujusmodi Repudiatio, Juris Ecclesiæ vel Monasterio jam
 quæsitæ donatio & alienatio est; cum ita repudians priùs naturâ
 Hereditatem adierit aut Legatum acceptarit, ut colligitur ex

l. Si avia 6. C. de Jure deliberandi, & l. si Sponsus cit. quarum ll. prior, qui de Hæreditate sibi relicta testatur, eo ipso adire videtur: posteriori autem §. 13. cit. ex mente Juliani JCTi Repudiatio Hæreditatis aut Legati à marito, ut uxori obveniret, facta donatio inter conjuges & propriè dicta Alienatio non cenferur, & mulieri prodest, si vel substituta sit, vel etiam ab intestato heres futura. Quibus verbis JCTus non obscurè insinuat, donationem Jure prohibitam, & propriè dictam alienationem fore, si uxor præcisè ex Renuntiatione mariti in suum favorem factâ, & non ex substitutione vel ab intestato acquireret jus ad Hæreditatem vel Legatum.

21 Neque obstat; quòd etiam in alterius favorem facta ejusmodi Repudiatio principaliter non tendat ad acquirendum, sed ad renuntiandum: & propterea illa momentanea aditio & acquisitio non sit attendenda arg. *l. & §. fin. C. de Bonis qua liberis;* quia etiam momentanea, quando aliquem Juris effectum producent, in consideratione esse, patet ex *l. Uxor 2. C. de Posthum. hered. instit. & tradit Petr. Barbosa in l. Datalem 62. ff. Solutæ matrim. n. 13.*

ARTICULUS IV.

De Rerum Ecclesiasticarum Venditione

SUMMARIUM.

- | | |
|---|---|
| 1. <i>Ista sine Solemnitate interdicta est,</i> | 5. <i>Illà liberè vendunt eorum incapaces:</i> |
| 2. <i>Permissa Emptione.</i> | 6. <i>Non etiam quacunque Pretiosa.</i> |
| 3. <i>Vendi sic nequeunt Immobilia merè temporalia.</i> | 7. <i>Calices sacri &c. quà tales, simpliciter:</i> |
| 4. <i>Expositio c. Cum dilecti 3. de Empt.</i> | |

1. *Qui*

8. Qui tales & pretiosi, liberè non venduntur.
9. Nova Expositio can. Si quis obiecerit l. q. 3.
10. Et antiquus ejus intellectus.
11. Vasa Sacra &c. Laicis non venduntur integra:
12. Nec majore pretio, ratione Consecrationis.
13. Pro Sepultura licitè emitur Terra:
14. Sacra tamen non venditur.
15. Nisi juxta valorem fundi &c.
16. Communem Sepulturam vendendi consuetudo, à Jure reprobatà,
17. Quando tolerabilis sit?
18. Jus Patronatus per accidens v. g. cum Castro:
19. Per se nunquam venditur;
20. Tanquam Spirituali, aut huius annexum.
21. Invendibilia omnino sunt Beneficia.
22. Differentia inter ea & Ecclesias.
23. De Venditione Decimarum formaliter,
24. Et Materialiter acceptarum.

Quartò prohibita Prælati, & ceteris Ecclesiarum Recto-
ribus atque Oeconomis &c. & irrita est Immobilium,
hisque æquiparatorum mobilium Pretiosorum Venditio,
sine causa & formâ Canonicâ celebrata, can. Casellas, can. Si Oeco-
nomus §. Hujusmodi, V. Quòd s. 10. q. 2. can. Placuit. can. Sine ex-
ceptione 12. q. 2. c. Irrita 1. c. Cùm Apostolica 7. & c. Tua 8. De ijs
quæ à Prælat. &c. Ratio est; quia venditio est Alienatio l.
Alienatio 67. ff. de Contrah. empt. & c. Nulli 5. de Reb. Eccles.
alien. cùm per eam, secutâ traditione, si venditor dominus est,
dominium l. Clavibus 74. ff. eodem Tit. & l. Traditionibus 2. C.
de Pactis: si verò dominus non est, usucapiendi conditio trans-
feratur, §. Ex his 5. Instit. Per quas personas nobis acquir. Gonzalez
in c. Irrita cit. n. 8.

Neque obstat; quòd Venditio & Emptio sint correlativas
imò illa hanc comprehendere soleat; cùm appellationibus illis
VV. promiscuè uterentur l. Veteres jus, ff. de Actiõ. empt. In Cor-
relativis autem, dispositum in uno, ad alterum extendatur, l.

fin. C. de Indicta vid. l. 1. C. de Cupressis &c. Everardus Loco à Correlat. n. 3. quia, ut iste, alijs DD. relatis, n. 8. ostendit, hoc de Correlativis solummodo procedit, quando illorum utriusque eadem ratio est. Cùm ergò Immobilium Emptio Ecclesijs utilis: contra Venditio damnosa soleat esse; quia utique melius est possidere v.g. prædium aut vineam, reddentem annuos fructus, quam sterilem & otiosam pecuniam in arca reconditam habere, jure optimo Prælatis & ceteris Ecclesiarum Administratores Immobilium Venditio interdicta est, permisa Emptione: sicut eadem interdicta est Tutoribus, quantumvis ejusmodi rerum emptio ipsis permissa sit l. Tutor qui 7. §. 3. ff. & l. Tutores 24. C. de Administ. Tut. juncto Gutierrez de Tutel. p. 2. cap. 9. à n. 1.

3. Vt autem, cujusmodi Immobilium, hisque quoad Alienationem æquivalentium Ecclesiæ rerum Pretiosarum, venditio, generali ejus prohibitione Prælatis interdicta sit, planum reddatur, illorum species p. & art. 1. n. 2. relatas memoriâ repetere juvabit. Primam constituunt Bona, sive Res Ecclesiarum merè temporales, ut sunt castra, villæ, prædia, fundi, domus &c. quæ Venditionis generali prohibitione cõprehendi, patet ex can. Placuit, can. Sine exceptione, c. Nulli cit. quorum textuum dispositioni Obstare, aut saltem difficilem eam reddere videtur decisio

4. c. Cùm dilecti 3. de Empt. & Vendit. quâ venditio Sylvæ, sine prævio Tractatu & Consensu, imò scientia Capituli; ac proinde sine Canonica Solennitate celebrata, sustinetur. Imò sententia Decani, illam non tenere pronuntiantis, tanquam Juri contraria; ab Alexandro III. revocatur: & in Emptoris arbitrio esse decernitur, an supplendum defectum justipretij, aut venditionem existimet rescindendam. Quæ in speciem satis difficilis decisio, ut cum nostra doctrina concilietur, probè expendendus est cit. c. textus: quo Venditio ab initio ex duplici capite videtur fuisse impugnata. Primò quidem; quòd ignorante Capitulo, ac proinde sine Forma Canonica celebrata. Secundò, quòd pro Sylva, quæ XL. Marchas valebat, non nisi X. libræ exhibitæ, itaque

itaque à venditore pro ea minùs, quàm dimidium justì pretij sit receptum. Quorum prius, scilicet Tractatùs, Consensùs & Subscriptionis Capitularis defectus, cùm allegatus quidem, sed probatus non fuerit, propterea venditionem irritam fuisse, non est pronuntiatum, ut ibi cum Glossa *V. Reddendam* notat Panormit. *n. 4.* & quia de posteriore, nempe lésione ultra dimidiù legitimè constabat, rectè à Papa, quæstione Nullitatis ex defectu Solennitatis provenientes reservatà, non Venditio irrita declarata aut rescissa est: quod Actores petebant, & Decanus contra Jus *L. Rem Majoris 2. C. de Rescind. Vendit.* pronuntiavit: sed Emptor, solùm alternativè sive disjunctivè, ad defectum pretij supplendum, vel rescisso contractu & recepto pretio, ad Sylvam restituendam compulsus fuit juxta *l. cit. Pirrhing. Method. Juris Canon. lib. 3. tit. 17. n. 22.*

Excipienda tamen hic sunt Immobilia donata, aut per ultimam voluntatem relicta FF. Minoribus Seraphici Ordinis S. Francisci, & Cappuciniis: uti etiam PP. Theatinis & Domibus Professis Societatis Jesu, quæ ad Sociorum usum aut habitationem servire non possunt; talia enim hoc ipso, quòd à Monasterijs aut Domibus retineri per Religionum illarum à Sede Apostolica approbatas Constitutiones non possint, sine Canonica Solennitate vendi, & Venditionum pretium in Monasteriorum, Domorumque & Religiosorum usus converti possunt, ut S. Congreg. Card. Tridentini Interpp. Decreto de PP. Theatinis declaratum, testes sunt Conradus, *Prax. Dispensat. Apostol. lib. 9. cap. 1. n. 13.* Thom. Delbene *de Immunit. & Jurisdic. Eccles. cap. 17. dub. 22 n. 28.* & Donatus Tom. 1. *Prax. Regul. p. 2. tract. 14. quest. 63. n. 3.*

Immobilia inquam, non etiam mobilia Pretiosa, ut sunt Calices, vasa aurea vel argentea & similia, quorum Religio est capax; ista enim hoc ipso, quòd per acceptationem Monasterio vel Domui jam quæsitæ & Divino cultui applicata sint, vendi sine causa & forma Canonica non posse, probabiliùs existimant

Barbosa de Officio & Possess. Episc. alleg. 95. n. 59. Donatus l. cit. n. 2. & Delbene à. n. 30. id non malè desumens ex memorato Decreto, Immobilium duntaxat venditionem exceipiente.

7 Altera illarum species sunt Ecclesiarum, Monasteriorum &c. res Temporales, Spiritualibus annexæ antecedenter, ut sunt ipsæ Ecclesiæ, Altaria, Calices, & cetera illarum sacra Suppellex: quæ etsi, quatenus Consecratione vel Benedictione affectæ sunt, aliquid Spirituale, ac proinde absque Simonia simpliciter invendibile sint, per text. *can. Si quis objecerit* 1. q. 3. quoad materiam tamen etiam ipsas, accedentibus tamen, si Immobiles aut Pretiosæ sint, præter justam causam, Juris Solennitatibus, vendi posse, contra Panormit. *in c. Ea quæ* 16. de Simonia, S. Thomam 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 4. ad 1. & alios præsertim VV. Canonistas, earum prius non confectarum aut destructarum venditionem simoniacam reputantes, cum Navarro *Manual. cap.* 23. n. 108. Sylvestro *V. Simonia q.* 12. Redoano de *Simonia p.* 3. c. 16. *princip. & c.* 17. à n. 6 defendunt Suarez de *Simonia cap.* 14. n. 6. Filliucius *p.* 3. *tract.* 45. *cap.* 3. q. 10. n. 21. Bonacina *Tract. de Simonia q.* 4 §. 2. n. 4. & alij RR. pro se etiam allegantes ipsum D. Angelicum *in 4. dist.* 25. q. 3. *art.* 2. *quæstiunculâ* 3. Rationem optimam reddunt; quod ejusmodi Temporalium Spiritualibus annexorum materia Valorem & æstimationem suam per Consecrationem aut Benedictionem non amittat: ac proinde ea vendi post hanc possint sicut prius, prout SS. Calices emi vèndique passim videmus.

9 Neque obstat *can. Si quis objecerit cit.* quia imprimis sermo in eo non est de rebus, Consecrationem antecedentibus, ut est materialis Ecclesia: sed illam, hoc est Ordinationem, sive Ecclesiæ vel Abbatia Collationem consequentibus, ut est Jus percipiendi redditus temporales: quod cum Glossa *ibi. V. Sed res cit.* Suarez n. 13. Bonacina n. 4. & Barbosa *in can. cit. n.* 2. desumunt ex Decreto Gregoriano correcto: in quo pro verbis, *Quam cum corporalis Ecclesia aut Episcopus vel Abbas, tanquam mē-*
dosus,

dosis, legitur: *Nam cum Ecclesia corporalis Episcopus vel Abbas &c.* de cujus proinde Ecclesie Episcopali vel Abbatiali dignitate, & rebus corporalibus, hoc est, redditus temporales percipiendi jure, hoc ipso, quod illa sine his in nullo proficiat, hoc est subsistere, & Episcopali vel Abbatiali autoritate separari non possint, *can. cit.* merito dicitur, quod, *quisquis alterum vendit, alterum invenditum non derelinquat.* Deinde; quia si litera ¹⁰ incorrecta inhareamus, textus ille de rebus consecratis, quarum materia a Consecratione separabilis non est v.g. de Ecclesia, ut Ecclesia &c. intelligendus est, ut vult Valentia *Tom. 3. disp. 16. p. 2. vlt.* quo modo accepta Ecclesie, cum utrumque simul includat, unum vendi sine altero non potest.

Passim tamen & recte hic duo DD. notant. Primò Vasa ¹¹ & Ornamenta sacra, casu, quo non Ecclesijs, aut ad Ecclesiasticos, sed Laicis & ad profanos usus venduntur, priusquam tradantur, conflaganda, confringenda vel dissuenda, juxta *l. Sancimus 21. & Auth. Præterea C. de SS. Eccles. Barbosa in cit. l. n. 9. & Auth. n. 5.* Secundò cavendum, ne cum Calices & similia ad ¹² usus Ecclesiasticos venduntur, pretium augeatur propter Consecrationem vel Benedictionem; hoc enim utique simoniacum foret, Suarez *cap. cit. n. 16.* Neque refert, quod cruces Hispanicae &c. carius vendantur, quam exigat materiae valor & artificij æstimatio; quia id solummodo fit ad compensandos sumptus & labores itinerum impensos in eas ex Hispania asportandas, Engel. *Colleg. Juris Canon. lib. 5. Tit. 3, n. 17. in fin.*

Eadem, quæ Ecclesiarum, ratio est Sepulturæ: de qua tamen, ¹³ etsi Simonie materia, ejusque venditio propterea generaliter & indistinctè prohibita videatur, *can. Quæstæ est & seqq. 13. q. 2. c. Abolenda 13. de Sepult. c. Cum in Ecclesia 9. & c. Audivimus 41. de Simonia,* distinctio tamen est adhibenda. Et primò quidem, pro simoniaca habenda non est venditio terræ, sive loci ad Fidelium Sepulturam deputandi, ut non obscure supponitur *can. Aurum 12. q. 2. & præter Glossam in cit. Abolenda c. V. Sepultura*
Panor-

Panormit. *ibid.* n. 4. aliósque Interpp. tradunt S. Thomas *cit. quest.* 100. *art.* 4. & Redoanus *de Simonia* p. 3. *cap.* 16. à n. 14. Ratio clara est; quia terra res merè materialis & pretio æstimationabilis est: ac proinde, sicut aurum vel argentum pro Calice, & ipsam etiam terram pro Ecclesia, ita eam etiam pro Sepultura vendenti, quid obstare possit, non apparet.

14 Secundò, contrà ejus ad Fidelium sepulturam benedictæ, quâ talis, non minùs quàm Ecclesiæ vel Calicis consecrati, quâ talium, venditionem simoniacam esse, indubitatè desumitur *ex text. antè citt.* & ratio non minùs clara est; quia, ut Consecratione vel Benedictione affecta, à Spirituali potestate ad finem Spiritualem proximè deputata: ac proinde quid spirituale etiam ipsa est.

15 Tertio nihilominus, qui suis aut Majorum suorum sumptibus extructam Sepulturam quoad proprietatem, præcisè juxta valorem fundi & æstimationem expensarum in eam factarum vendit, immunis est à labe Simonix; cùm enim ita Calices, & secundùm S. Thomam *cit. art.* 4. in necessitate etiam terra, ubi Ecclesia fuit, vendi possint: non est, cur juxta valorem fundi & structuræ æstimationem vendi posse negetur Sepultura, ut *cum cit. Doctore Angelico* tradunt Sylvester *V. cit. q.* 12. *dicto* 3. Suarez *cap.* 14. n. 18. & Barbosa *in c. Abolenda cit. n.* 7. Hoc tamen non obstante

16 Quarto, in loco pro communi Fidelium Sepultura consecrato, hæc, quoad ipsam etiam terram, alicui vendi Jure Ecclesiastico prohibetur *can. Quæstæ est & c. Audivimus citt.* Imò pro ea aliquid exigendi consuetudo tanquam corruptela reprobatur *c. Abolenda & c. Cùm in Ecclesia citt.* Quod, etsi omnino verum sit de Consuetudine: vi cujus aliquid temporale exigeretur pro loco Sepulturæ, habito respectu ad ejus Consecrationem vel Benedictionem, vel ampliorem fructum Spiritualem ratione precum aut sacrarum functionum in eo peragi solitarum, aut vicinix alicujus altaris consequendum: aut vi cujus, nisi certâ pecuniâ

pecuniâ numeratâ, Fidelium defunctorum cadavera excluderentur, inhumata relinquerentur, aut jam tumulata exhumerentur; hæc enim à Christiana pietate & omni humanitate aliena, atque omnino intolerabilis perversitas & sordities foret, Barbosa ad *Concil. Trident. sess. 25. cap. 13. de Ref. n. 36.* & Engel. *Colleg. Jur. Can. lib. 3. tit. 28. n. 16.*

Etsi, inquam, hoc ita se habeat, non damnanda tamen videtur, ubi recepta est, Consuetudo: vi cuius non tantum sponte oblatum reciperetur, sed etiam aliquid exigeretur, pro fabricæ vel Cœmiterij conservatione, Cantorum aliorumque Sepulturæ ministrorum sustentatione, pro honoratiore vel eminentiore loco, absque respectu tamen ad hujus sanctitatem aut fructum spirituales, vel pro obligatione non nisi ex certa aliqua familia defunctorum cadavera ad certum Ecclesiæ vel Cœmiterij locum aut Sacellum admittendi, ut multis alijs DD. relatis docent Barbosa *de Officio & Potest. Parochi cap. 26. à n. 16.* Frances *de Eccles. Cathed. cap. 16. à n. 92.* & Gonzalez *in c. Abolenda cit. n. 2.*

Minus quàm Sepulturæ expedita est venditio Juris Patronatus: non quidè Realis, sive rei temporali v.g. Castro, Villæ &c. accessoriè annexi; istis enim venditis, absque ulla labe Simoniaca accessorium Patronatus jus in emptorem transferri, patet ex *c. Cum seculum 13* junctâ Glossâ *V. Emptorum de Jure Patronat. eum*, quod principaliter agitur, non quod in consequentiam & merè accessoriè vendatur, arg. *c. Cum voluntate 54. de Sent. Excommunicat. VI. Janus in Ration. c. Ex literis 7. de Jure Patron. princip.* Modò tamen ipsum jus Patronatus vendi non exprimitur, Lambertin. *de Jure Patron. lib. 1. p. 2. quest. 5. art. 20.* aut, ratione ipsius annexi, pro Castro, Villa &c. majus pretium non exigatur; hoc enim Simoniacum apertè foret, Vallens. *Paratit. lib. 3. tit. 38. §. 4. n. 1.* & Zæsius *in Decretal. lib. 3. Tit. eodem n. 24.* Sed Personalis & solitariè spectati, hoc enim absque Simonia omnino invendibile est, per text. *c. De Jure 16. de*

Jure Patron. & Decreta Reformatoria S. Synodi Tridentinæ *sess.* 25. *cap.* 9. Quorum Jurium priore ejusmodi Venditio irrita est ipso Jure, *Glossa in c. cit. V. Irrita & ibi Barbofa n. 2.* Posteriore autem hujusmodi jus vendere attentantes Excommunicationis (si Personæ singulares) & (si Communitates fuerint) Interdicti pœnis subijciuntur: atque insuper Venditor ipso Jure amittit Patronatum ita, ut Ecclesia libera evadat, *Barbofa in cap. 9. cit. n. 81.* Ratio autem, cur ejusmodi venditio Simoniaca sit, est; quia ex una parte Patronatûs jus est aliquid vel merè Spirituale, ut cum *Glossa fin. in c. Præterea 9. de Transact.* existimat *Suarez de Simonia cap. 28. n. 7.* quòd ab Ecclesia & Spirituali potestate institutum sit: & Præsentatio Clerici, quæ præcipuus ejus actus est, tendat ad aliquid Spirituale, scilicet Beneficium Ecclesiasticum, & Jurisdictionem atque Administrationem Spiritualem: vel potius Spirituali annexum, ut cum *S. Thoma 2. 2. quest. 100. art. 2.* volunt *Julian. Vivianus Prax. Juris Patronat. lib. 1. cap. 2. n. 4.* & *Barbofa in c. Quanto 3. de judicijis n. 5.* id desumentes partim ex *c. Quanto & c. Cum de Jure cit.* textibus: partim ex ratione; quòd sicut Calices, Patenæ &c. tanquam præparatoria ad Divina mysteria ordinantur, ita jus Patronatûs tanquam præparatorium respiciat, & ordinetur ad spiritualis Officij Ministrorum Institutionem in Ecclesijs vel Beneficijis: adeoque sicut propter dictam præparationem Calices, Patenæ &c. *can. Vasa. can. Vestimenta de Consecrat. dist. 1.* ita propter eandem, etiam Patronatûs jus Spiritualibus antecedenter annexum sit censendum, ut *Lotharius de Benef. lib. 2. cap. 9.* pluribus ostendit: Ex altera verò Spirituality aut huic annexi Venditionem simoniacam esse, constat ex recepta, & à *D. Thoma 9. cit. art. 1.* tradita definitione.

21 Terria earundem species complectitur res Ecclesiarum Temporales Spiritualibus annexas consequenter, istasque præsupponentes, tanquam suas causas, ut sunt Beneficia & Pensiones Ecclesiasticæ, Jus decimandi &c. Ex quibus Beneficia, uti etiam

etiam ejusmodi Pensiones, vendi aut pro re aliqua temporali permutari non posse, *can. Presbyter &c. 1. q. 1. can. Si quis dator & seqq. ibid. quest. 3. c. Cum pridem cit. c. Cum Clerici. 6. c. fin. cit. de Pactis c. Unico. §. Et circa, Ut Benef. Eccles. sine diminut. c. Sicut tuis &c. de Simonia habetur: & Orthodoxorum DD. nemo est, qui inficietur. Ratio est; quia jus percipiendi redditus temporales, quod continetur in Beneficiis, ex istorum primæva institutione ita annexum est Officio Spirituali, ut non nisi propter hoc *c. fin. de Rescript. in 6. & Clericis ad Officia & Ministeria Divina per SS. Ordines aut saltem primam Tonsuram deputatis c. In Ecclesia 2. de Instit. competere possit: ideoque sicut Officium, ita etiam huic annexum redditus propter id percipiendi jus invendibile est, arg. *can. Si quis objecerit cit* quando ab Officio, sive Spiritualia ministrandi jure, Papali auctoritate non separatur, Palao *Tract. 17. disp. 3. p. 13. n. 3.***

Neque Paritas est Beneficij cum Ecclesia, Calice vel alijs 22
similibus rebus benedictis vel consecratis; quia in istis Temporale, scilicet materiale, Spiritualem Consecrationem vel Benedictionem antecedit: & hæc illis accessoriæ sunt. Contra verò redditus percipiendi jus posterius & accessorium est Officio Spirituali: & propterea jus ad redditus propter Officium percipiendos vendi nequit, quia vendatur Spirituale Officium, in quo fundatur, nisi Apostolica auctoritate ab illo separaretur, Suarez de Simonia *cap. 24. n. 35. & Palao l. cit.*

Eadem fere ratio est juris decimandi; nam etiam hoc proprie & secundum suam institutionem sumptum, quomodo in Spirituali Officio & Spiritualia ministrandi obligatione fundatur, juxta *c. Novum 2. de Decimis*, absque Simonia vendi, aut etiã permutari pro re temporali non posse, colligitur ex *c. fin. de Rer. permut. & cum Glossa ibi V. Temporalia*, Rebuffo *Tract. de Decimis quest. 10. n. 17. & alijs DD. tradit Laiman. lib. 4. Tract. & cap. 6. n. 2.*

Proprie, inquam & formaliter sumptum; quia materialiter 24.

pro solâ & à Spirituali titulo, præcisâ fructuum percipiendorum utilitate, acceptum Decimarum jus ex natura rei & scelusa prohibitione Ecclesiasticâ vendi & permutari posse, ex TT. & Canonistarum communi sensu idem docet n. 3. & ab Interpp. in Gregorij IX. Decretalium lib. 3. Tit. 30. solet explicari.

ARTICULUS V.

De earundem Permutatione.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|---|
| 1. Hæc Immobilia sine Solennitate invalidè: | 9. Expositio can. Sine exceptione 12. q. 2. |
| 2. Cum ista in Principem ex æqualis: | 10. Sensus c. Ad quæstiones 6. de Rer. Permut. |
| 3. In alios Laicos ex utilitatis majoris causâ transferuntur. | 11. Quibus non ubique conformis Consuetudo. |
| 4. Inter Ecclesias secundum aliquos quacunque Alienatio: | 12. Permutari possunt inter se Ecclesia: |
| 5. Secundum alios sola Permutatio non exigit Solennitatem. | 13. Et pecuniâ compensari inæqualitas Possessionum. |
| 6. Verius ad hanc, & illas necessaria est, de jure, | 14. Non sic permutari ipsa Beneficia, |
| 7. Et Praxi Curie Romanae. | 15. Sine Auctoritate, ordinariè Apostolica, |
| 8. Causa finalis Extravag. Ambrosianæ de Reb. Eccles. alien. | 16. Vel labe Simonie. |

Quintò, præter justam causam etiam Juris Solennitates exiguntur ad rerum Ecclesiasticarum Immobilium & mobilium Pretiosarum Permutationem, can. sine exceptione 12. q. 2. aliter autem facta, irrita nullaque pronuntiatur ibidem §. Irrita, c. 1. & c. Tua nuper 8. De ijs quæ à Pralat. & à Successoribus revocari jubetur c. Ut Commutationes 2. De rerum permut.

mut. imò ab ipsis Prælatiſ, à quibus eæ in ſuarum Eccleſiarum
 damnum ſunt attentatæ, debent juxta *can. Quod quis 35. q. 9.*
 & *c. Si quis 6. de Reb. Eccleſ. alien.* Gloſſa in *c. Ut Commutationes*
cit. V. Inconſulæ. Ratio eſt; quia rei Permutatio, ejuſdem Alic-
 natio eſt, *c. Nulli 5. eodem Tit.* cùm per illam transferatur Do-
 minium, *l. Cum precibus 4. C. De rer. Permut.* Si id penes trans-
 mutantes fuit *l. 1. §. 3. ff. eodem Tit. & c. Cum Venerabilis 6. §. Ad-*
hæc de Except. ubi tamen

Excipi ſolet Permutatio rei Eccleſiæ Immobilis, cum alia
 ejuſdem rationis, non tantùm majoris, ſed etiam æqualis æſti-
 mationis & utilitatis re: quæ cum Principe ex rationabili v. g.
 Palatij aut Horti ampliandi, vel Caſtri adverſus hoſtium in-
 curſus muniendi cauſâ, eam petente, permiſſa eſt Decreto ſy-
 nodi Sylvanectenſis *c. 1. de Rer. permut.* relato, & deſumpto ex
Novella 7. cap. 2. §. Sinimus, ubi tali caſu præciſè exigitur, ne
 ex Permutatione Eccleſia damnum patiatur: quantumvis aliàs
 non cujuſcunque ſed evidentis utilitatis, cujuſmodi eſt, ſi res
 dara melior & magiſ profutura recipiatur, cauſa exigatur *can.*
Sine exceptione cit. ibi, niſi fortè aliquid horum Episcopuſ faciat,
 ut meliora proſpiciat &c. ut dictum *p. 2. art. 1. à n. 5.* Ratio decreti
 eſt; quòd ab Imp. Regibus & alijs Principibus Eccleſiæ multis
 Privilegijs munitæ, eorùmque munificentia dotatæ atque or-
 natæ ſint, & præſidio ac deſenſione protegantur; ut propterea
 omnino conveniens ſit, Eccleſiam in eos, quàm ceteros fideles
 Laicos, eſſe proniorem, Vivianuſ in *Ration. c. cit. 1.* & Barboſa
ibid. n. 2. qui tamen cum Joan. Andreæ in *cit. c. n. 3.* etiam hoc
 caſu, ne Eccleſiæ res deterior obrudatur, & Permutatio dam-
 noſa ſit, Tractatum cum Capitulo & iſtius Majoris partis & Su-
 perioris conſenſum requirunt.

Dubium nunc, & magna inter DD. diſſenſio eſt, an ne-
 ceſſitatis, evidentis utilitatis aliave juſta cauſa & Canonicæ So-
 lennitates exigantur ad Immobilium aut mobiliũ Pretioſorum
 Permutationem, inter ipſas Eccleſias & Monafteria celebra-
 dam?

dam? Generaliter ad valorem, tam ipsius, quàm cuiuscunque alterius Alienationis ejusmodi rerum in aliam Ecclesiam, Solennitates non requiri, volunt Riccius in *Praxi* p. 1. *decis.* 35. & Bordonus *Resolut.* 27. *quæst.* 2. n. 3. Quorum hac de re sententiam in puncto Juris probabilem censet Engel, *Colleg. Jur. Canon. lib.* 3. *Tit.* 13. n. 16. eo præcipuè, & ferè unico nixus fundamento; quòd Alienationem non Solennem prohibendi & irritandi ratio fuerit; ut consuleretur indemnitati Ecclesiæ Universalis: non Sacrorum & Religiosorum Locorum particularium, ut non obscure in sinuat Paulus II. in *Extravag. Ambitiosa. de Reb. Eccles. alien.* ubi, dum consensum Apostolicum exigit, principaliter agit de Alienatione, quæ fit in Laicos ac Seculares, ibi *qui Immobilia & mobilia Pretiosa Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ, Monasteria & pia loca reguntur illustranturque, & eorum Ministri sibi alimoniam vendicant, profanis usibus applicare præsumunt:* quæ verba, cum sint Proœmialia, significant dispositionis causam finalem, secundum *l. fin. ff. de Hæred. instit.* & Barthol. *ibi* n. 3. quâ proinde cessante, cessabit ipsa dispositio & prohibitio, juxta regulam *c. Cum cessante* 60. *de Appellat.* & Tiraquell. *Tract. Cum cessante* p. 1. *limit.* 23. n. 1. Atque hæc fortassis causa est, cur ad Immobiliū Alienationem ab Episcopo vel Abbate factam, solummodo consensus ambatum partium, absque ulla cujusquam Superioris mentione exigatur *c. Non licet* 1. *de Reb. Eccles. alien.*

Contrà, ad alias Alienationes requisitarum Solennitatum interventum in ejusmodi Permutatione de rigore Juris non exigi, cum allegato Barbosa *de Officio & Potest. Episc. alleg.* 95. n. 55. defendit Palao *tract.* 12. *disp. unica* p. 15. §. 3. n. 7. propter textus *Ant. & can. Hoc jus § Sibi invicem c. de SS. Eccles. & 10. q. 2. c. 1. cit. de Reb. Eccles. alien. & c. Ad quæstiones de Rer. Permut.* quibus bonorum Ecclesiasticorum liberam Permutationem Prælati specialiter permissam volunt.

Nobis punctum Juris, utriusque Opinioni Assertoribus
melius

melius attigisse videntur Bonacina *diss.* 3. de *Contract.* *quest.* 8. p. 4. n. 20. Delbene de *Imminut. & Iurisdic.* *Eccles.* cap. 17. *dub.* 13. n. 1. Donatus *tom.* 1. *Prax. Regul.* p. 2. *tract.* 14. *quest.* 85. n. 4. Corradus *Prax. Dissens. Apostol.* lib. 9. cap. 10. n. 4. & Gonzalez *inc.* 1. *cit.* n. 7. Qui cum Joan. Andreæ aliisque interpp. *inc. cit.* cum Beroio *lib.* 1. *Consil.* 179. n. 3. Quaranta *V. Alienatio Rer. Eccles.* n. 15. & Filliucio *Tract.* 44. *cap. & S.* 2. *V. Quod est &* alijs, sicut ceteras Immobilium Alienationes, ita eorum, rerumque ipsis æquiparatarum Commutationes sine Solennitatibus celebratas, tanquam invalidas rejciunt, propter textus *can. Sine exceptione cit. c. 1. c. Cum Apostolica 7. & c. Tua cit. De ijs que à Pralat.* qui eodem modo loquuntur de Permutatione, quo de Donatione & Venditione. Cum ergo illis Donatio & Venditio sine Solennitate, etiam inter Ecclesias celebrata, prohibita & irritata sit: prohibita inter istas & irrita etiam Permutatio erit. Textibus allegatis consonant Constitutio Paulina *Extravag. Ambitiosa cit.* & Decretum S. Congreg. Card. Trid. Interpp. jussu Urbani VIII. 7. Septemb. 1624. editum: quorum Jurium, priore quidem, omnium rerum & bonorum Immobilium & mobilium Pretiosorum ad quascunque Ecclesias; posteriore verò specialiter ad Monasteria pertinentium Alienatio, ac proinde etiam Permutatio arg. *c. Nulli cit.* omnèque pactum, per quòd ipsorum dominium transfertur, cujusmodi eandem esse patet, sine consensu Apostolico: & si res Monasterij sit, sine memoratæ S. Congreg. expressa licentiâ celebratum, omnino generaliter atque indistinctè irritatur. Accedit 7 Praxis Romana: quâ ipsismet Riccio *Resol.* 35. & 60. *in fine &* Barbosa *cit.* n. 55. testibus, eadem Juris Solennitas, idèmq; Consensus, qui in ceteris, & cum Laicis initis Alienationibus, etiam in Permutationibus inter duas Ecclesias initis adhibetur: quæ illius Curie praxis & Consuetudo dubij Juris interpretatiùs, quàm correctoria censenda est, arg. *c. Cum expediat & c. Elect.* *in 6. & l. Precipimus 32. in fine C. de Apellat.*

Neque

8 Neque adversantur opposita utriusque Sententiæ Fundamenta. Prioris quidem, quia imprimis Procemiale rationem *Extravag. cit.* non finalem, sed impulsivam tantum fuisse, non obscure desumitur ex eo; quod illâ relata prohibitio, non ab ipso Conditor Paulo II. primum sit introducta, sed innovata & confirmata ea, quæ antiquis Canonibus lata fuit: Antiquæ autem prohibitionis ratio & causa finalis non tam sit, ne res Ecclesiæ pofanis usibus applicentur, quàm ne Ecclesiæ, quarum res & bona sunt, depauperentur & ad fabricæ cultusque Divini conservationem & Ministrorum sustentationem necessarijs proventibus destituantur. Deinde; quia etiamsi causam illam finalem esse, concedatur: talis tamen fuit Prohibitionis, non quomodocunque, sed sub pœnis, ipsâ *Extravag. cit.* expressis, factæ: ut rectè advertunt *citt. Deibene n. 10. & Palao n. 7.* Et demum; quia *c. 1. de Reb. Eccles. alien. in 6.* Alienatio Decimarum inter ipsas Ecclesias celebrata, invalida pronuntiatur propter defectum tam Solennitatum, quàm justæ causæ, urgentissimo argumento, tam illam quàm hanc exigi, etiam cum inter Ecclesias Alienatio fit.

9 Posterioris autem; quia §. *Sibi invicem cit.* eî apertè adversatur; cum Permutationem inter Ecclesias permittat, *cum consensu eorum, qui & supra referuntur*: supra autem *can. cit. princip. V. Si autem* disertè exigitur, ut fiat *major parte ibidem servientium consentiente & ex causa debiti urgentis, quod ex mobilibus solis solvi non possit, Turrecremata in can. cit. n. 6.* Eodem modo *c. 1. cit.* Episcopus vel Abbas, Jurisdictionem quasi-Episcopalem obtinens, secundum Panormit. *ibi n. 3.* Redoanum *de Reb. Eccles. non alien. Rubr. 30. casu 1. n. 64.* aliisque Interpretac DD. sibi subjectarum Ecclesiarum Terras commutare permittitur cum consensu ambarum partium, hoc est Prælatorum vel Oeconômorum utriusque Ecclesiæ, procedentium juxta *can. Hoc jus cit.* ut in *c. cit.* notat Glossa *V. Commutare Vivianus ibid. §. fin. Gonzalez n. 7. in fine &c.*

Æquè

Æquè parùm pro ea militat text. *c. Ad quaestiones cit.* quia eo non agitur de causa aut Solennitatibus Permutationis: sed solummodo deciditur, in Permutatione Parochiarum cum Possessionibus ad illas pertinentibus, istas, si inæquales sint, ad æqualitatem reduci posse pecuniâ interveniente. 10

Et si verò de rerum Ecclesiasticarum Permutatione hæcenus tradita, Jure & Curia Romanæ Praxi spectatis, ita se habeant: extra illam Curiam tamen, quando ea inter duas Ecclesias celebratur, non ubique omnes Juris Solennitates, & saltem consensum Apostolicum adhiberi, notat Donatus *quæst. cit. n. 6.* Et de Jure etiam sufficere, ut ea cum utriusque indemnitate fiat, ex §. *Sibi invicem & c. Ad quaestiones cit.* desumi existimant Franc. Leo *Theaur. For. Eccles. p. 1. cap. 15. n. 72.* & cum eo Ascan. Tamburinus *Tom. 1. de jure Abbat. disp. 13. q. 5. n. 3.* Ex paulò ante dictis 11

Aliud, & non magis quàm prius, expeditæ resolutionis dubium oritur, quomodo in Permutatione Ecclesiæ Parochialis Possessionum ad æqualitatem reductio ita fieri queat absque labe simoniæ? Ratio dubitandi est; quia pro simoniaca à DD. passim habetur Permutatio Ecclesiæ vel Beneficij Ecclesiastici pinguis pro tenui, facta eâ conditione, ut excessus reddituum sive fructuum ex uno provenientes pecuniâ vel alia re temporali compensetur. 13

Hujus rationis difficultate permoti, in *c. Ad quaestiones cit.* Zabarella *n. 2.* & Imola *n. 2. & 11.* propositam dubitationem resolvunt ope distinctionis, inter Permutationes Ecclesiarum, habentium Possessiones & Temporalia percipiendi Jura, à Spirituali Titulo omnino separata: & Ecclesiarum, prout in eiusmodi Titulum conferuntur, & temporalia percipiendi jus annexum habent. Et in prioribus quidem, cum exigente aut suadente justâ causâ & interveniente Canonica Solennitate permutantur: ad eas pertinentium Possessionum aliarumque rerum & Jurium merè temporalium inæqualitatem pecuniâ compensari, absque 14

Y

ulla

ulla labe sive vitio Simonix posse, facilè concedunt, juxta *c. cit.* & *c. Cum venerabilis 6. de Except.* modo in Permutatione caveatur, ut, quod in compensationem excelsus, possessionum &c. dari licitè potest, pro Spirituali aut huic annexo datum non videatur. In posterioribus autem sive Ecclesijs, prout conferuntur in Titulum, & vera Beneficia Ecclesiastica sunt, excessum pinguioris pecuniâ vel alia re temporali compensari à permutantibus absque Simonix labe posse, cum ipsis inficiantur Navarrus *Manual. cap. 23. n. 100. V. Tertio, Covarruvias lib. 1. var. cap. 5. n. 8. & 9.* & Suarez de *Simonix cap. 34. n. 5. & 10.* propter generalem regulam Juris Ecclesiastici, Pactiones, de Temporalibus & maximè de pecunia danda pro Spirituali vel huic annexo, reijcientis, *can. Quàm pio 1. q. 2. can. Nemini 16. q. 7. c. Cum pridem 4. can. fin. de Pactis c. Quasitum 5. & c. fin. de Rer. permut. &c.* contra quorum textuum absolutam & generalem prohibitionem, Parochialium aliarumque Ecclesiarum, quæ in Titulum conferuntur, & ceterorum Beneficiorum Ecclesiasticorum Permutationes admittendi vel approbandi facultas Papâ inferioribus, Prælatibus Ecclesiasticis, & ipsis etiam Episcopis, saltem ordinariè & generaliter, indulta nullibi reperitur.

- 15 Idipsum suadet solida ratio; quia in Ecclesijs ita consideratis, & ceteris Beneficijs, fructus sive redditus temporales percipiendi jus Spirituali annexum est auctoritate Sedis Apostolicæ, Parochialium aliarumque Ecclesiarum Titulos instituentis, *can. Ecclesias 13. q. 1. & c. Pastorabis 9. De ijs qua à Prælat. ac proinde ab isto separari, auctoritate Papali inferiore, etiam Episcopali, regulariter, & ordinariè non potest, juxta can. Inferior dist. 21. & c. Cum Inferior 16. de Majorit. & Obed. Cum ergo, quisquis alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum inventum derelinquat, per text. *can. Si quis obiecerit 1. q. 3.* qui in Ecclesiæ, in titulum collatæ & cujuscunque Ecclesiastici Beneficij Permutatione excessum proventuum re Temporalibus, & præsertim pecuniâ, ejusmodi auctoritate non interveniente, compensat:*

pensat: hanc pro titulo ipso & Spirituali Officio, cui illi inseparabiliter annexi sunt, exhibere censetur: quod Simoniacum esse, indubitatum est ex ipsa Simonia, à Glossa in *Causa 1. Summa V. Quidam* & S. Thoma 2. 2. q. 100. art. 1. ad 4. traditâ, & à ceteris Interpp. ac DD. ferè omnibus receptâ definitione: quâ illa dicitur esse *studiosa voluntas emendi aut vendendi Spirituale vel Spirituali annexum.*

ARTICULUS VI.

De Precarijs Ecclesiasticis.

SUMMARIUM.

- | | | | | | | | | | | | | |
|---|-----------|------------|---------------------------------|---|--|-------------------------------|----------------------------------|--|------------------------------------|---------------------------------------|---|-----------------------------|
| 1. Harum in Ecclesia, præsertim Gallicana, frequens usus: | 2. Origo: | 3. Natura, | 4. Et diuturnitas Concessionis. | 5. Perpetuitas, si qua fuit, sublata est. | 6. Precariarum differentia à Precario: | 7. Et contractu Emphyteutico. | 8. Necessaria ad illas quinquen- | 9. Hæc fieri potest sine Canonica Solennitate: | 10. Quam prima Concessio requirit. | 11. Vera earum Origo, & istius Causa. | 12. Commentum de S. Raimundo Greg. IX. Decretalium Compilatore, | 13. Falsitatis convincitur. |
|---|-----------|------------|---------------------------------|---|--|-------------------------------|----------------------------------|--|------------------------------------|---------------------------------------|---|-----------------------------|

Extò Prælati, hodie saltem, generaliter prohibita *Extravag. Ambitiosa inter Com. de Reb. Eccles. alien.* tanquam Alienationis species videri potest Concessio Precariarum: quantumvis eam olim in Ecclesia, præsertim Gallicana, frequentem fuisse constet, & abunde testentur Concilia; Agathense, *can. 58.* Epauense, *can. 18.* Aurelianense IV. *can. 36.* aliique VV. Canones, & Caroli M. Capitular. *lib. 5. cap. 3. &*

lib. 7. cap. 104. Quod, an moderno Jure ita se habeat, priusquam statuamus, operæ pretium erit, si ejus Contractus investigemus Originem, & Naturam breviter declaremus.

2 Originem itaque, vel saltem Nomenclationem aut Formam Precariæ debent Juri Ecclesiastico: à *Precibus*, sicut *Precarium*, ita etiam ipsas (vel potius à Charta Ecclesiæ porrecta, quæ *Precaria*, vel *Precatoria* dicebatur, & rerum Ecclesiasticarum Precariæ concessionis postulationem continebat) appellante, ut colligitur ex Marculfi lib. 2. *Formul. cap. 5.* & Synodi Rhemenf. sub Carolo, *can. 35.* ibi: *de his, quæ per Precatoriam ab Ecclesia impetrantur.* Ab iisdem *Precibus* nomen etiam Precariæ inditum, patet ex Concil. Tolet. VI. *can. 5.* ibi, *Qui de rebus Ecclesiæ Episcopi percepit largitate, sub Precariæ nomine professionem scribere debet.* Vnde *Precaria* à *Precarijs* numero duntaxat, non significatione differre, non immeritò visa est Panormit. *inc. 1. de Precarijs n. 3.* & Tholosano Syntagmat. lib. 23. *cap. 2. n. 5.*

3 Sunt autem Precariæ seu *Precaria* Contractus, quo rei Immobilis, & fere Soli, usus alicui roganti ad quinquennium vel ad vitam accipientis, vel aliud certum & determinatum tempus sub annuo censu vel alio onere, aut etiam Remunerationis causâ, conceditur ita, ut si Concessionis tempus quinquennio sit diuturnius, ne istius longitudine illius memoria intereat, *can. Longinquitate, can. Sæpè 12. q. 2.* renovari singulis lustris sive quinquennijs debeat, *can. Precaria 12. q. 2. & c. 1. de Precarijs:* & finito Concessionis tempore, cum omnibus suis incrementis ad Ecclesiam revertatur. Ita ex communi, & magis recepto DD. sensu Gonzalez *inc. 1. cit. n. 4. & 9.* in cujus fine cum Gibalino lib. 4. *de Usuris cap. 2. art. 6.* notat, cum ille, qui res suas Ecclesiæ donavit, illarum usumfructum per *Precariam* peteret, ad vitam: cum autem in *Precariam* darentur res ab Ecclesia aliunde comparatæ, ad quinquennium vel aliud certum tempus concedi consuevisse.

Perpe-

Perpetuas esse posse, cum *cit.* Panormit. tradunt Molina, 5
Tract. 2. de 1. & 1. *disp.* 296. n. 20. & Pirrhing *Method. Jur. Ca-*
non. lib. 3. *Tit.* 14. n. 10. & aliquando fuisse, desumi videtur ex
 Decretis, imprimis Joannis IX. teste Baronio ad annum Christi
 904. ne tales, saltem in posterum, essent, statuentis: dein Gre-
 gorij VII. & denique Urbani II. eas, ne perpetuæ præsumeren-
 tur, de quinquennio in quinquennium renovari præcipientis
 1096. in Concilio Turonensi, teste Gonzalez n. 10. *in cit. c.* 1. cu-
 jus textu, ex Concilij Belvacensis *can.* 13. desumpto, & in Con-
 cil. Meldense *can.* 22. translato, idem est constitutum. Vnde

Patet, Precarijs valde affines esse Contractus Precarij & 6
 Emphyteuseos: à quorum tamen priore; quòd per illas res Im-
 mobiles, prædia, fundi &c. ferè ad certum tempus, ante cujus la-
 psum revocari nequeant, & sub censûs vel alio simili, & Conces-
 sionis renovandæ onere: & non, ut per Precarium, etiam Mo-
 biles, neque merè gratuitò, & sine stabilitate atque renovandi
 obligatione, concedantur: à posteriore autem, sive Emphyteu- 7
 seos, ipsis simillimo Contractu differunt; quòd concedantur
 semper ad Preces, & aliquando de Ecclesia bene merito, remun-
 nerandi causâ, & ad quinquennium: & cum ad longius tem-
 pus conceduntur, ad Concessionis & Dominij penes Ecclesiam
 remanentis memoriam conservandam, singulis lustris sint re-
 novandæ, Panormit. *cit.* n. 3. Barbosa *in Rubr. de Precarijs* n. 8.
 & Gonzalez *l. cit.* n. 4. Quam quinquennalem Renovatio- 8
 nem, si non petat is, cui res per Precarias sunt concessæ: jure
 suo cadit, fere sicut feudum amittit Vasallus, si à novo Domino
 non petat Investituram, *lib.* 2. *Feud. cap.* & §. 1. aut Liberti Eccle-
 siæ, se de istius familia esse sub novo Pontifice non profitentes,
 ad Servitutem revocantur, *can.* *Longinquitate cit.* Panormit.
ibid. n. 5. & *cit.* Barbosa n. 10.

Superest supra mota, & nobis proposito argumento pro- 9
 pria difficultas & dubium, an Precariæ moderno Jure exigant
 Solemnitates rerum Ecclesiasticarum Alienationi præmittendas?

Non quidem in Renovatione quinquennali; cum enim ista, post legitimè factam rei Immobilis Concessionem, debita: & ad illius memoriam rei que Dominium Ecclesiæ conservandum, Jure introducta sit; & propterea illius conditionem reddat meliorem: non exiget Solennitates à SS. Canonibus præscriptas actibus, qui in Ecclesiarum damnum possunt redundare. Confirmatur paritate Feudi; quantumvis enim Prælatus Ecclesiæ suæ res infeudare sine Solennitatibus prohibeatur, ei tamen, quò minus Feudum antiquum renovare valeat, neque Jura, neque Juramentum de non alienando obstant, per. *text. c. Ex parte 2. de Feudis*, Interpp. ibi, aliòsque DD. Imò primam etiam ipsarum Concessionem sine Solennitate fieri à Prælatis posse, desumi videtur ex *can. Sape cit. & can. Clericò 16. q. 3.* ubi Episcopo Precarias concedendi facultas adstruitur, & quidem libera, ut existimat Calvinus *Lexic. Jurid. V. Precaria*, pro indubitato habens, Precarias ab Ecclesiarum Prælatis excogitatas in fraudem SS. Canonum, rerum Ecclesiasticarum Alienationem ipsis prohibentium.

10 Sed hac in re JCTus iste divinat, & à vero recedit; partim quia non ita, ut supponit, libera Prælatis est Concessio Precariarum; cum enim per ipsas concessæ rei Dominium quidem & proprietas penes Ecclesiam remaneat: sed eà utendi & fruendi etiam jus in Beneficiarium, & quidem ad longum, & aliquando totius vitæ tempus, atque irrevocabiliter transferatur, *can. Sape cit. & can. Precaria §. Si autem 10. q. 2.* Barbosa *in Rubr. cit. n. 6.* species quædam sunt alienationis acceptæ latius, & in sensu nobis propositæ materiæ proprio: ac proinde Solennitates non minùs exigunt, quàm rerum Ecclesiasticarum ceteræ Alienationes. Unde in contrarium *citt. text. de casu*, quo justa causa & Solennitas intervenit, intelligendos *citt. Gonzalez n. 7.* observat; partim quia Precarias à Pietate Fidelium in gratiarum actionem pro illustri Victoria à Clodoveo Francorum Rege, Religione in Christum magis, quàm armis ad

ad Tolbiaeum obtentâ, bona sua Ecclesijs offerentium: & vicissim, ne egestate laborarent, eadem vel alias res Ecclesiasticas, ad dies vitæ, in modum Beneficij recipientium, ortas & postea propagatas, ex Beato Rhenano *lib. 2. Rer. Germanicarum* ostendit Tholosanus *cit. c. 2. n. 5.* & satis constat ex *LL. Aleman. Tit. 11. ibi, Si quis liber res suas ad Ecclesiam Dei dederit &c. & post hac à Pastore Ecclesia per Beneficium susceperit, ad vitalem necessitatem conquirendam diebus vita sua, & quod spondit, persolvat ad Ecclesiam censum de illa terra.* Quibus similia habentur in *LL. Bajuvar. Tit. 1. cap. 1.* Aliam Precariarum, vel introductarum, vel usu receptarum, rationem reddit Gibalinus, eas ad rerum Ecclesiasticarum direptionem evitandam inventas, aut propagatas perhibens, *cit. cap. 2. art. 2.* Vnde, quam Calvinus *l. cit.* non dubiam censet: vana, & non satis æquo in Prælatos studio excogitata videtur Origo Precariarum.

Etsi verò hæc esset vanissima, multò tamen majorem Veri ¹² & infesti Orthodoxis animi minorem speciem præsert, quam Danielis Keyser ICTI Coburgensis Heterodoxi Narratio de Gregorianarum Decretalium Compilatore Raimundo. Hunc ille in sua, paucarum quidem pagellarum, sed non paucis erroribus & figmentis adornata Juris, ut vocat, Historia Francofurti 1677. editâ *p. 3.* eundem esse perhibet cum famoso illo Doctore: *qui Parisiis, tanquam pro Numine habitus mortem oppetiit A. C. 1086. Ubi è loculo erectus, clara voce & attonito gemitu se ex justo Dei judicio damnatum esse, & jamjam infernales sentire cruciatus exclamabat.* Ita ille cum nonnullis ejusdem Fidei Scriptoribus.

Sed palmari sanè omnes licentiâ comminiscendi: immen- ¹³ so Temporum Locorumque, & Veritatis omnino intolerabili trajectu; cum Raimundum nostrum, non Gallum aliquem; sed Hispanum, Barcinone ex nobilissima & Arragonum Regibus cognata stirpe procreatum: *De Pennafort; non, ut apud Raynaudum Tom. 9. in S. Brunone p. 3. n. 6.* Orcinus ille, *Diores* cognominatum: Non Sorbonicum, aut alium quempiam è Pari-

è Parisinis; sed Bononiensem Jurium Doctorem, & SS. Canonum Professore, posteaque Gregorij Papæ IX. Capellanum, Pœnitentiarium & Confessarium: Non Canonicum, aut alium Clericum Secularem, ut ille apud eundem n. 7. sed Religiosum, FF. Prædicatorum SS. Ordinem professum, ejusdemque Magistrum Generalem III. Non vanæ gloriæ & honoris sectatorem; sed contemptorem, Supremo illo Magistratu abdicato, Patriæ suæ Archiepiscopatu recusato, mundani fastûs odio, & latendi desiderio studioque, clarissimum fuisse: Non A. C. 1086. vel potius 1082. quo tempore Supremum Ecclesiæ clavum Gregorius VII. & Romanum Imperium Henricus III. tenuisse, & luctuosa illa catastrophe accidisse, in S. Brunone à Surio *Princip.* & Raynaudo *p. cit. n. 15.* perhibentur, sed post hanc, & illos duobus ferè seculis 1275. 8. Id. Januarij, sedente Romæ Gregorio X. & Rudolpho I. in Germania imperante: Non Lutetiæ Parisiorum (in Vrbe, ab ipso fortassis nunquam visa, & ferali illius spectaculo & ad infernales rogos damnati sententiâ attonitâ) mortem appetisse; sed Barcinone, è Patria sua, propè centenarium, & meritis non minùs quàm annis gravem, ad vitam immortalem & perennaturam felicitatem evocatum: Alphonso Castellæ, Jacobo Arragonum Regibus, aliisque Magnatibus & Ecclesiarum Præsulibus cum Clero, & Populo Univerſo præsentibus, summo honore, & Pietatis sensû maximo tumultatum: editisque innumeris miraculis, compluribus etiam mortuis ad vitam revocatis, ita inclaruisse, ut quemadmodum Parisini illius nomen Cælo Terrisque proscriptum, & damnata memoria est: ita ipse Beati Cælitis instar privatâ Fidelium veneratione fiduciâque coli & invocari statim à morte ceperit, & demum à Clemente VIII. in Sanctorum numerum Solenni ritu relatus fuerit 3. Calend. Maij 1601. ut habetur in *ejus Vita & Miraculis* à Leandro Alberto, Michaële Llot aliisque, conscriptis & relatis in *Bulla Canonizationis*, quæ incipit, *Romana*, apud Cherubin. *Bullar. Tom. 3.* & Bolland. 7. Jan. in *Vita & S. Raimundi.*

ART I-

ARTICULUS VII.

De Rerum Ecclesiasticarum Locatione.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|--|
| 1. Eiusmodi res Immobiles cum Solemnitate, ad quodcunque: | 11. Earundem etiam fructus ultra triennium non locantur : |
| 2. Sine ista, ad modicum tempus Antiquo: | 12. Secundum aliquos etiam Beneficiales. |
| 3. Recentiore Jure ad triennium locantur: | 13. Sed verius horum Locatio triennio non constringitur. |
| 4. Nisi sint exigui valoris. | 14. Neque Extravag. Ambitiosa dispositione: |
| 5. Ad tria triennia extensa Locatio nulla, | 15. Prefazione: |
| 6. Et in fraudem facta censetur: | 16. Aut Panis comprehenditur. |
| 7. Saltem quoad duo posteriora. | 17. Fructus Beneficiales locari nequeunt in prejudicium successoris. |
| 8. Eam quoad primum irritam affirmantium, | 18. Inter istorum & Ecclesie reddituum Locationes differentia. |
| 9. Et negantium Opiniones, | |
| 10. Conciliantur. | |

Septimò, rerum Ecclesiasticarum Administratoribus quibuscunque prohibita est Locatio, *Clement. 1. & Extravag. Ambitiosa, de Reb. Eccles. alien.* Non quidem omnium: sed rerum duntaxat Immobilium & Pretiosarum. Imò ex justa causa, & eum Solemnitate Canonica, etiam istas ad quodcunque, in profanis rebus, Jure permissum tempus locari posse, omnes facile concedunt; cum sic omnino, hoc est, quoad ipsam Proprietatem & Dominium possint alienari.

Sine Solemnitatibus autem *Clement. cit.* Locationes rerum Ecclesiasticarum, sive istarum usus & fructus pro certa mercede pecuniaria, & aliquando etiam fructuaria v. g. pro certa quantitate,

Z

tate,

tate frumenti, vini, olei, Concessionibus, ad recipientis aut concedentis vitam, vel aliud longum tempus prohibita: & permissa illa tantum Locationes sunt, quae fiunt ad tempus modicum: cujusmodi in proposita materia, quodcumque decennio minus, *arg. c. fin. Ne Praelati vices &c. esse centent Glossa fin. in Clement. cit. Covarruvias lib. 2. Var. cap. 15. n. 6. & Azor p. 2. Instit. Moral. lib. 7. cap. 10. q. 3.*

- 3 Verum, etsi haec se ita habeant, spectato Antiquiore *cit. Clement.* Recentiore tamen Jure, sine Solennitatibus & consensu saltem Apostolico, Rerum Ecclesiasticarum, sicut Alienationes ceterae: ita etiam Locationes ultra triennium fieri prohibita sunt, *Extravag. Ambitiosa inter Com. de Reb. Eccles. alien.* qua introductum Jus, ubi Constitutio illa usu recepta est, hodie observandum, cum Navarro, *Manual. cap. 27. n. 149.* recte observat Laiman *lib. 3. tract. 4. cap. 10.* Ubi autem non recepta, aut
- 4 Consuetudine ei derogatum est, Locationes ad novennium hodieque: & si res modicae & exigui valoris sint, illa & Antiquo etiam Jure non obstante, ad quodcumque tempus fieri possunt, juxta *can. Terrulas 12. q. 2. Quaranta in summa Bullar. V. Alienatio n. 18. & Wagnereck in cit. Extravag. Exegeti, V. Locationem not. 2.* Vnde

- 5 Dubium oritur primo de valore Locationum v. g. praedij ad tria triennia, ubi *cit.* Constitutio Paulina recepta, & ubi usu recepta non est, ad tria novennia, eodem die, eidem vel diversis personis, scilicet uni pro primo, alteri pro secundo, tertiae pro ultimo triennio vel novennio factarum. Eas enim pro validis, etiam quoad triennium aut novennium secundum & tertium, habet Baldus in *L. Voluntas 4. C. de Fidei commiss.* quod sic non una, sed tres Locationes contrahantur: quarum singulae ad tres Moderno, vel Antiquo Jure permissos novem annos extendantur. Sed melius cum *cit. Covarruvia, cap. 16. n. 4.* irritas pronuntiant Molina *Tract. 2. de 1. & I. disp. 466. n. 11.* Vasquez *de Redit. cap. & §. 2. n. 25. &* alijs DD. cum Rotae
- De-

Decisionibus allegatis, Barbosa de Off. & Potest. Episc. alleg. 95. n. 17. id desumentes ex Novell. 7. cap. 3. in fine; ubi nullum dicitur pactum: quo rei Ecclesiasticæ Emphyteusin concedens, duorum istam accipientis hæredum Successorem ceteris præferre, eique eandem rem in Emphyteusin concedere obligaretur. Rationem textus reddit; *quia hoc nihil aliud est, quàm per revolutionem & machinationem perpetuas eis Emphyteuses, magis autem privationes Ecclesiasticarum agi rerum: quæ æquè militat adversus nobis propositas Locationes; cùm per illarum machinationem, & triennalis Concessionis revolutionem res Ecclesiastica locetur ultra triennium Novo, & modicum tempus Jure Antiquiore permissum, in apertam utriusque Juris fraudem. Confirmatur; quia hujusmodi Locationibus permissis, quod unâ viâ prohibitum est, contra Legislatoris intentionem per alteram obtineretur, contra Reg. 84. in 6.*

Neque vim habet ratio Baldi; etsi enim tres triennales aut novennales, & non una duntaxat Locatio sit: revêra tamen prædium Ecclesiasticum per illas ultra triennium, & per has ad longum tempus locaretur & conducireretur: quorum prius Extravag. posterius Clem. citi. prohibetur.

Dubium secundò, & Controversia inter DD. admodum celebrata est, an ejusmodi Locatio ad tria triennia irrita etiam sit quoad primum? Quoad hoc etiam, ac proinde in totum eam vitari vult Bartoli. in Auth. Qui rem. C. de SSI. Ecclesi. n. 7. & cum eo Navarrus de Alien. Ren. Ecclesi. n. 21. Covarruyas cit. cap. 16. n. 5. Steph. Gratianus tom. 1. Discept. Forensi. cap. 126. n. 22. & Vasquez cit. §. 2. à n. 28. Contra eam, saltem pro primo triennio subsistere, cum Claro §. Donatio q. 17. n. 2. & Card. Tuscho, Practic. V. Locatio conclus. 406. n. 2. defendunt citi. Molina disp. 467. n. 3. Quaranta V. cit. n. 18. & Riccius Resol. 102. n. 3.

Illi se fundant partim in textibus Clement. 1. & Extravag. citi. quorum posteriore ultra triennium facta Locatio nullius omnino roboris & momenti: priore verò ex ipsa recipienti nullū jus acqui-

ri dicitur, *cit. Novell. cap. 3. cuius Princip.* Emphyteusi, ultra legitimum tempus data, robur adimitur, & *cap. 7.* illam accipere præsumens ab Emphyteusi cadere dicitur. Partim verò in ratione; quia Locatio est contractus reciprocus, pendens à voluntate duorum: cuiusmodi contractus, si non valent, ut fiunt: neque valent, ut fieri potuerunt, quando agitur de contrahenda obligatione, secundùm receptam doctrinam Bartoli *in l. 1. §. Si quis ita ff. de V. O.*

9 Isti verò præcipuè nituntur Regulâ, *utile per inutile non debet vitari*, quæ est 37. *in 6.* sic enim, inquit, Emphyteusis concessa in tertiam & quartam generationem valida est, quoad tertiam Jure permissam: quod desumunt ex *cit. Novell. & cap. 3. §. Quod autem*: sic Donatio absque insinuatione ultra 500. solidos facta, firma est, quoad summam Jure permissam: & quoad excessum tantùm vitatur, per *text. l. Sancimus 34. C. de Donat.* & concessio Indulgentiæ ab Episcopo ultra tempus unius anni ipsi permissum *c. Cum ex eo 14. §. Ad hac, de Pœnit. & Remiss.* etsi nulla sit quoad excessum: quoad annum tamen à SS. Canonibus indultum valet, ut *in c. fin. eodem Tit. in 6. Glossa fin. &*, alijs DD. relatis, advertit Barbosa *in c. fin. cit. n. 2.*

10 Extremè oppositas has sententias hic Author *alleg. 95. cit. n. 11. & Donatus Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. Tract. 14. q. 42. n. 2.* in concordiam reducunt ope distinctionis, agnitæ à *cit. Molina n. 4.* Vel enim inquit, Locatio est individua, itaque inita, ut ex mente contrahentium non nisi pro triplicato triennio vel toto novennio teneat: ideòque non nisi una merces pro toto tempore solvatur? Et tum eam neque pro primo triennio valere, cum prioribus facilè concedunt, propter defectum consensûs. Vel dividua, itaque inita est, ut primo triennio finito incipiat nova Locatio, prout fieri præsumeretur, si annua aut singulis annis respondens pensio esset solvenda? & tum, ne contra *cit. Regulam, utile per inutile vitietur*, eam pro primo triennio valere: pro reliquis autem eâ, tanquam nullius momenti contra-

tu,

Qu, nullum jus accipienti acquiri, cum posterioris Sententiæ Assertoribus docent, propter *Clement. & Extravag. cit.* quorum proinde textuum dispositio, etsi generaliter loquatur, non de licito, sed illicito locationis tempore est intelligenda; leges enim generaliter loquentes improbare non censentur, quod alijs est permissum arg. *l. sciendum 15. princip. ff. Qui satisd. cog. Barbosa l. cit. n. 16.*

Dubium & Controversia tertio est, de Locatione ipsorum ^{II} fructuum sive reddituum Ecclesiasticorum. Hos enim per Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatos ac Rectores ultra triennium, *cit. Extravag.* non obstante, locari posse, non obscure tradi videtur eadem, prohibente alienationem Ecclesiasticarum rerum & bonorum: quibus verbis res & bona sive possessiones Ecclesiarum, non ex istis provenientes fructus & redditus comprehendi videntur: & ex verbis, *præterquam in casibus à jure permissis*: cujusmodi fuit locatio fructuum, ad modicum, & quodcumque novennio minus tempus permittit *c. Vestra de Locato* junctâ *Clement. cit.* Sed sicut communior, ita verior est sententia aliorum: quibuscum non ipsarum tantum possessionum, sed etiam fructuum Locationem *alleg* Constitutione Pauli II. ad triennium restrictam, Praxi Tribunalium & Rotæ *decis.* firmat *cit. Barbosa n. 20.* & non obscure insinuat textus, *Omnium rerum & bonorum*: ac proinde etiam fructuum Ecclesiasticorum Locationem, triennali majorem, vetans: & clarè satis exprimit, generaliter prohibita Alienationis exceptio secunda, permittens alienationem *fructuum & bonorum, qua servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia*: cujusmodi cum fructus post Locationis triennium provenientes non sint, quoad istos, à dicta exceptione Regula accipiet firmitatem, arg. *l. Quasitum 12. §. 43. v. Denique, ff. de Fundo instructo & l. Ex eo 18. ff. de Testib.* sed hinc.

Dubium quartum, & magni in praxi momenti Controversia ^{II} oritur, de fructibus rerum beneficialium, pertinentium ad

ipsius Ecclesiæ Prælati vel Rectoris Mensam; sicut enim ipsarum Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque Piorum locorum, auctoritate Episcopi rectorum, ita etiam illorum redditus & fructus ultra triennium locari, absque consensu Apostolico posse, negant Emmanuel Sà *V. Conductio* n. 13. Barbosa *alleg. cit.* n. 20. & alij DD. cum Rotæ decis. *allegat.* acriter propugnat Gutierrez *2. 2. Canon. lib. 1. cap. 8. n. 14.* ponderatâ *cit. Extravag. imprimis. Præfatione,* agente de bonis, *ex quibus Ecclesia, Monasteria & pia loca reguntur illustranturque, & eorum ministri sibi alimoniam vendicant:* cujusmodi maximè sunt fructus & redditus Beneficiales ac Mensæ, sive destinati ad sustentationem Prælati vel Rectoris: Deinde Dispositione, *omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum,* id est prædictorum, *quibus Ecclesia &c. reguntur illustranturque, & ministri aluntur,* Alienationem quamcunque, & in specie Locationem *alitra triennium,* generaliter prohibente: Et denique Pœnis, in Ecclesiarum non solum Prælatos, sed Rectores & Beneficiatos quoscunque, aliter, quam ipsâ dispositum est, *alienare præsumentes,* decretis. Idem suadet ratio, quia Beneficiorum fructus destinati sunt pro sustentatione Beneficiorum, arg. *c. Non liceat. 2. de Præbend.* qua isti carere, eorumque successores privari facile possent, si redditus Beneficiales ad longum tempus, Locare locationis mercede à Conductore de præsentî receptâ liceret.

13; Hujus, in Jure fundatæ rationis, etsi non modica, ea tamen vis non est, ut propterea eâ firmatæ Sententiæ oppositam non censeamus probabiliorem: quam (ac proinde fructuum Beneficialium, & ad Prælati vel Rectoris mensam, sive sustentationem destinatorum reddituum Locationem, triennio non infringi) tanquam veniorem defendunt Covarruvias *cit. cap. 16. n. 6.* Avendan *de Exequend. mandat. p. 1. cap. 4. n. 6.* Vasquez *de Redit. cap. 1. §. 2. n. 34.* Zerola *Prax. Episc. p. 1. V. Alienatio §. 3.* Molina *cit. disp. 466. n. 7.* & alij: quos refert & sequitur Palao *tract. 12. disp. unica p. 14. n. 12.*

Ratio

Ratio est; quia *cit. Extravag.* qua Paulus II. consulere intendit indemnitati Ecclesiarum, Monasteriorum & aliorum locorum Piorum, expresse agit de bonis, quorum Alienatio cedit in illorum, scilicet dictorum locorum & cultus Divini detrimentum: & quorum Alienatio v. g. Locatio tantum facienda est ob evidentem utilitatem Ecclesiarum &c. Quæ non conveniunt fructibus Beneficialibus, sive deputatis ad ipsius Prælati Rectoris & Beneficiati sustentationem; cum istorum Locatione Ecclesiarum, Monasteria &c. nullum patiantur detrimentum, aut utilitatem vel emolumentum percipiant, & cultus Divinus non diminuat. Unde illorum Locationem *Extravag. cit.* Dispositio non comprehendit.

Neque etiam Præfatio aut Pœnæ. Illa; quia Ministri, qui ex fructibus rerum locari prohibitarum alendi dicuntur, sunt, qui Ecclesiæ vel Monasterijs serviunt, ab iisque percipiunt stipendia sustentationis. Istæ verò; quia Prælatos, Rectores, Beneficiatos &c. afficiunt, non ratione Locationis reddituum & fructuum Beneficialium, ad ipsos, sed rerum aut fructuum spectantium ad Ecclesias, Monasteria, & quorum ipsi solum habent administrationem.

Neque majorem vim habet Ratio; quia permissione diuturnioris, imò ad Beneficiati vitam aut Resignationem extentæ Locationis fructuum beneficialium, nullum præjudicium patitur successor; cum quatenus huic præjudicat, invalida sit: & propterea ultra Locatoris vitam & administrationem non extendatur, ut clarè constat ex Concilio Tridentino, Locationes illas, quæ anticipatis solutionibus fiunt, & quatenus Successoribus præjudicare possunt, irritante, *sess. 25. cap. 11. de Reformat.* Vnde ejusmodi reditus non facile aliquis ad longum tempus & anticipata solutione conducet: & si conduceret, damnum, quod subiret, sibi deberet imputare; cum Locationem obitu finire, & fructus ad successorem pertinere, potuerit & debuerit prævidere *c. fin. de Officio Ord. in 6. & l. Si quis*

quis domum §. 1. ff. Locati, Glossa in c. fin. v. Terminum, Ne Prælati vices &c. Panormit. ibid. n. 8. Covarruvias cap. 15. n. 6. & Molina l. cit. Vnde

18 Bene noranda est gemina differentia, quam inter reddituum & fructuum, pertinentium ad Ecclesias &c. quorum Prælati, Rector &c. solum habent administrationem: & Beneficialium, & similium Locationes cit. aliisque DD. agnoscant. Prima est; quod Locatio priorum, de Jure Antiquiore ad quodeunque tempus modicum: Recentiore autem Extravag. cit. ad triennium duntaxat: posteriorum autem ad tempus longum & ipsam concedentis vitam, fieri possit. Altera; quod illarum Locatione, Antiquiore ad novennium: Recentiore autem Jure, ubi cit. Extravag. usu recepta est, ad triennium facta, hoc ipso, quod à legitimo Administratore & secundum Jura inita sit, stare teneatur Successor, sicut Tutor Tutori succedens in administratione Tutelæ, imò ipse pupillus arg. l. si tutela §. ff. de Administr. Tutor. Nisi ejusmodi contractu se læsum, iste aut Ecclesia probare possint; tum enim recurrere possent ad Beneficium in integrum restitutionis, per text. & DD. in c. 1. De in integr. restit. non item istorum; cum eorum Locatio Prælati, Rectoris, Beneficiati morte exspiret per text. aut arg. cap. 11. Trident. &c. fin. cit. quia facta est nomine proprio, & de Jure proprio: quod jus & nomen respectu rei locatæ Beneficiati obitu vel etiam renuntiatione cessat, ut rectè advertit Palao cit. p. 14. n. 13.

ARTICULUS VIII.

De Emphyteusi & Feudo.

S U M M A R I U M.

1. Emphyteusis non Solennis de rebus immobilibus illicita est Prælati.
2. Et alijs prohibitis Alienare.
3. Non obstantibus Novell. 7. cap. 3.

- cap. 3. & Novell. 120. cap. 1.
4. *Expositio c. Ad aures 7. de Reb. Eccles. alien.*
 5. *Iisdem interdicta ejusmodi rerum Infendatio,*
 6. *Et sub-infendatio:*
 7. *Nisi sint exigui valoris,*
 8. *Vel solita dari in Feudum vel Emphyteusin:*
 9. *Etiā post Extravag. Ambitiosæ eodem Tit.*
 10. *Et Juramentum de non alienando.*
 11. *Specialis ratio Infendationis Decimarum.*
 12. *Conciliatio Text. e. fin. de Feudis & c. 19. de Decimis*
 13. *Qua res infendari Solita, varia Opiniones.*
 14. *Conciliantur,*
 15. *Permissâ liberâ concessione rei à 40. annis,*
 16. *Vel semel solenniter infendata.*
 17. *Etiā Capitulum infendat res proprias,*
 18. *Non Pralato communes.*
 19. *Pralati etiā reins feudare aliquando nequeunt, vi Statuti vel Conventionis:*
 20. *Uti etiā, si mutatus sit rerum status:*
 21. *Vel res facta sit Mensalis:*
 22. *Qualis in dubio Res Immobilis censetur:*
 23. *Et evadit expressâ,*
 24. *Vel tacitâ,*
 25. *Imò præsumptâ declaratione Pralati.*
 26. *In Re-infendatione modus non excedi:*
 27. *Neque res transferri debet in Potentiorē:*
 28. *Extra casum c. & §. fin. de Feudis.*

O Gravò Episcopi, Abbates &c. Ecclesiarum & Monasteriorum suorum res & bona Immobilia, sine concurrente cum justa causa Canonica Solennitate, dare nequeunt in Emphyteusin, *can. Hoc jus §. Perpetua 10. q. 2. can. Apostolicos 12. q. 2. c. Nulli. 5. & Extravag. Ambitiosa, de Reb. Eccles. alien.* Ratio clara est; quia Emphyteusis est species quædam Alienationis, per *text. l. fin. C. de Reb. alien. non alienand. Novell. 7. cap. 1. §. Alienationis & c. Nulli cit.* eum per ejus Contractum Dominium rei utile, sub onere certæ pensionis, Domino proprietatis

Alienationes Ecclesiasticas requisita Solennitate nihil dissolvit: ac proinde quoad Solennitates standum est dispositione Juris Antiqui, eisdem, quas ceteris Alienationibus, etiam Emphyteutico Contractui Solennitates præscribentis, Gonzalez *in c. cit. n. 4.*

Nonò, multò minùs quàm in Emphyteusia dare, suarum Ecclesiarum & Monasteriorum res sive bona Immobilia, etiam ab ipsis de novo acquisita infeudare Episcopi, Abbates &c. sine Juris Solennitatibus possunt, per Constitutionem Pauli II. *Extravag. cit. relata*: imò Decretum Urbani II. in *Feudorum lib. 1. Tit. 6.* translatum. Ratio est; quia rei Infeudatio Alienationis rationem multò magis habet, quàm ejus Concessio in Emphyteusin: multòque difficiliùs illa permittitur Prælati; idque non solùm, quòd propiùs accedat ad naturam Beneficij & Donationis, *Feud. lib. 2. Tit. 23. §. Imprimis*, Prælati tanquam rerum Ecclesiasticarum Administratoribus, non Dominis, *c. Fraternalitatem 2. de Donat. specialiter interdictæ, can. Sine exceptione 12. q. 2. c. 1. & seqq. De ijs que à Prælat. & c. Nulli cit.* Sed etiam; quòd res Feudalis ad Ecclesiam difficiliùs quàm Emphyteutica revertatur; cum per Infeudationem, prædio vel alia re Immobili fruendi, jus perpetuum transferatur in accipientem, *§. Imprimis cit. Clarus §. Feudum, quest. 4. Laiman Tract. de Eccles. Rer. alienat. cap. 5. n. 92.*

Sicut Ecclesiæ vel Monasterij sui res infeudare, ita etiam ejusmodi res in feudum acceptas sub-infeudare, hoc est in ijs feudum alijs constituere, nisi præter justam causam etiam Juris Solennitates adhibeant, Prælati non possunt; etsi his adhibitis, in casibus alijs licitis, id nomine Ecclesiæ vel Monasterij sui non minùs quàm Laicis sit permillum, Rosenthal. *de Tract. Feud. cap. 4. conclus. 15. n. 2. & Laiman. cit. n. 92.*

Excipiendæ tamen sunt primò Res modicæ, hoc est, exigui valoris, ut Ferrulæ, Vineolæ &c. quæ, hoc ipso quòd permutari vel omnino distrahi, per *text. can. Terrulas 12. q. 2. &*

- dicta p. 1. art. & n. 4. etiã poterunt infeudari, vel in Emphyteusin dari, *cit. Rosenthal. conclus. 20. & Pirhing. Method. Jur. Canon. lib. 3. Tit. 20. n. 6.*
- 8 Secundo aliæ res Ecclesiasticæ in Feudum vel Emphyteusin dari solitæ; has enim per obitum Vasalli sine masculis hæredibus decedentis, vel ob delictum aut Feloniam ab ipso commissam, ad Ecclesiam reversas Prælati, si expedire judicaverint, denuo infeudare aut in Emphyteusin dare, etiã nullis Solennitatibus adhibitis, permittuntur *c. Ex parte 2. §. In primo, de Feudis*; quod hujusmodi iterata Concessio, non Alienatio & Infeudatio nova, sed potiùs antiquitùs, aut priùs legitimè decretæ Alienationis sive Infeudationis executio censetur; cùm, quando rei in Feudum vel Emphyteusin Concessio, cum consensu Capituli & Apostolica Authoritate interveniente, semel decreta fuit, decreto illo ordinatum fuisse videatur, ut in posterum res illa, Ecclesiæ vel Monasterio aperta, in Feudum vel Emphyteusin denuo concedatur, & Alienatio continuetur, *Panormit. in c. Ut super 8. de Reb. Eccles. alien. n. 11. Curtius Junior de Feudis p. 2. quest. 1. V. Quarto me movet, & Rotæ decis. allegat. Barbosa in c. Ex parte cit. n. 6.*
- 9 Neque hæc Exceptiones cessant post *Extravag. cit.* quia istius textu consensus Apostolicus non exigitur, *in casibus jure antiquo permissis*: cujusmodi est *c. Ex parte cit. relatus*: & *in rebus ac bonis in Feudum vel Emphyteusin solitis concedi*, juxta *c. Ex parte cit.* etiã in Prælati, ad requirendum in Infeudatione vel alia Alienatione consensum Apostolicum, proprio Juramento obligatis, per *text. c. cit.*
- 10 Ratio est; quia hujusmodi ipsorum juramentum tantùm refertur ad res non-Feudales, & quarum Dominium, tam utile quàm directum, penes Ecclesiam est: non autem ad res & bona in Feudum vel Emphyteusin dari solitas & propterea hæc ad Ecclesiam, etiã quoad Dominium *reversæ*, in Feudum vel Emphyteusin dari denuo possunt, juramento illo non obstante, ut in *c. Ex parte cit.* cum *Joan. Andr. n. 1. Panormit. n. 3.* notant *Vivianus Princip. Fagnanus a. 5. & c. & tradit cit. Rosenthal. conclus. 21. n. 22.* Ne-

Neque Exceptioni posteriori obstat; quòd Episcopus denuo Laicis infeudare nequeat Decimas, ante ipsum infeudatas & ad Ecclesiam reversas, ut cum Joan. Andr. in *c. Prohibemus* 19. de Decimis, aliisque Interpp. & DD. docent Curtius Jun. l. cit. p. 2. *quast. 8. n. 5. V. Olim. & V. Prater hac*, & Menochius de *Prasumpt. lib. 6. pras. 86. n. 3.* quòd à Concilio Lateranensi Laicis concedi generaliter prohibeantur, *c. cit. c. Cum Apostolica* 7. *De ijs qua à Pralat. & c. 2. §. Sanè, de Decimis in 6.* quia non desunt, qui contrarium defendant cum Glossa in *c. Prohibemus cit. V. Laicos*, & Zabarella in *c. Ex parte cit.* quòd hujus textus, res ad Ecclesiam reversas denuo infeudari permittentis, dispositio generalitatem Concilij Lateranensis, ad Decimarum novam, & non ante legitime decretam Concessionem restringat. Et si istorum DD. Opinio displiceat, tanquam aliena à mente *cit. Concilij*, propter magnum præjudicium, quod Ecclesie imminere animadversum est, Decimas omnes à Laicis ad Ecclesias redire, & devolutas penes illas remanere volentis: tamen vim magnam non habet à Decimarum, Laicis denuo infeudandarum, prohibitione deductum argumentum; quia id in Decimis specialiter prohibitum est; quòd rerum statu cum tempore murato, illas apertas re-infeudari hodie non amplius expediat Ecclesie, prout ad novam Infeudationem desideratur *c. Ex parte cit.*

Dubium hinc & dissensio inter DD. est, quando res infeudari solita censeatur ad effectum, ut Ecclesie vel Monasterio aperta re-infeudari, vel in Emphyteusin denuo & liberè dari à Prælato possit? Sunt, qui unam duntaxat Solennem illius Infeudationem vel Emphyteuticationem sufficere: ac proinde rem semel ita concessam, quandoque ad Ecclesiam revertatur, re-infeudari vel in Emphyteusin denuo liberè dari posse, velint cum Panormit. in *c. Ut super cit. & Alexandro Lib. 2. Consil. 188. §. 29.* Alij, præter ejusmodi Solennem concessionem, exigunt tempus ad Consuetudinem introducendam requisitum vel 30. vel 40. annorum, vel cujus initij memoria non extat, apud Cla-

rum §. Feudum, *quest. 13. n. 4.* & Redoanum *Rubrica 33. quest. 10. n. 2.* Alij cum Jacobo de Beluisio *in lib. 1. Feud. cap. 1.* quem etiam Clarus *li. cit.* & Balbus *de Præscript. 1. p. 5. part. princip. quest. 20.* sequuntur, præter quadragenarij temporis lapsum exigunt, ut intra hoc temporis spatium res saltem bis duobus diversis, & diversis temporibus in Feudum vel Emphyteusin fuerit concessa.

¶4 Nobis, in re controversa incertaque, cum Nicol. Everardo nostro, *Vol. 2. Consil. 19. n. 16.* adhibenda distinctio, & considerandum videtur, an rem, de qua liberè re-infeudanda agitur, ex justa causa & interveniente, præter ceteras Solennitates, consensu Apostolico, ubi ad hunc requirendum *vi. cit. Extravag. Ambitiosa* usu receptæ aut Juramenti, Prælati obligatus est (vel si iste Regularis sit, cum licentia S. Congreg. Card. Trident. Interpp.) in Feudum vel Emphyteusin semel concessam constet: vel an hujusmodi Solennis concessio præcesserit, dubium & incertum sit.

¶5 Et hoc posteriore quidem casu, quo de hujusmodi Concessione aliquando facta non constat, ut à 40. annis in Feudum vel Emphyteusin data sit, exigi *citt. primæ sententiæ Assertoribus* haud ægrè concedimus cum Barbosa, id à Rota pluries decisum testante, in *c. Ex parte cit. n. 4.* Ratio est; quia tali saltem casu liberæ Re-infeudationis permissio fundatur in infeudandi Consuetudine, juxta *Feud. lib. 1. cap. 1.* cujus principio Episcopus, Abbas & similes Personæ Ecclesiasticæ in feudum dare posse dicuntur, *si antiquitus Consuetudo fuerit.* Consonat text. *Extravag. cit.* Infeudationem & Contractum Emphyteuticum sine consensu Apostolico permittens *de rebus & bonis ab antiquo solitis concedi.* Ad legitimam autem Consuetudinem, quæ res Ecclesiarum infeudari ab antiquo solitæ, perinde ut contra eas præscriptæ, dicantur, exigitur lapsus annorum 40. *c. De quarta q. 6. Ad aures 6. c. Illud 8. de Præscript.* ut rectè advertit Lessius *lib. 2. de J. & J. cap. 6. n. 45.* quantumvis alias ad Consue-

suetudinem, contra Legem etiam Ecclesiasticam introducendā, regulariter decennium sufficere concedat. Porro, ut hoc casu Prælati in infeudandi quasi possessione constituatur, etsi, ut res ab antiquo infeudari solita dicatur, DD. frequentiori calculo duos actus exigant, satis probabiliter unicum sufficere & R. aliqui volunt cum Andr. de Ilernia in *Feud. cap. 1. cit.* & Robuffo de *Reb. Eccles. non alien. n. 33.*

Priore autem casu, illa quandoocunque etiam postbreve tempus ad Ecclesiam vel Monasterium reversa re infeudari aut in Emphyteusin denuo & liberè, sive non repetitis Solennitatibus, dari posse censemus cum *citt. Panormit. Alexandro Ilern. Redoano & Everardo l. cit. & n. 5.* pro hac sua sententia magnam & præcipuorum in *Jure Feudali* DD. Autoritatem allegante. Idem desumitur ex rescripto Innocentij III. *c. Ex parte cit. Feudi, Vasallo decedente, ad Ecclesiam reversi iteratam Concessionem Prælati, si expedire viderit, liberè permittentis, sine ulla ullius temporis primò factæ Concessionis aut istius iterationis mentione: non obscuro indicio, rem etiam semel duntaxat legitimè infeudatam, quandoocunque ad Ecclesiam revertitur, re-infeudari liberè posse Juramento, de non infeudando vel aliter alienando, non obstante. Ratio est partim; quia Ecclesiæ vel Monasterij res, ex justa causa semel alienabilis effecta cum Solennitate, illâ causâ durante perpetuè alienabilis facta censetur, secundum Bartol. in *l. Pater §. Quindecim ff. de Legat. 3.* Riccium in *Praxi decis. 26.* Franc. Leon. *Thesaur. Fori Eccles. p. 1. cap. 15. n. 3.* magnâ DD. Autoritate allèg. id firmantes: partim verò; quòd ejusmodi juramentum à Prælato præstitum intelligatur de rebus Mensæ incorporatis: cujusmodi non sunt, quas in Feudum vel Emphyteusin solenniter datas constat, Rosenthal. *cap. cit. conslus. 29. n. 1.* & Fagnanus in *c. Ex parte cit. n. 7. in fine & n. 9.* Neque obstant text. *cap. 1. & Extravag. cit.* quia imprimis uterque, ut cum alijs Juribus concilietur, intelligendus est de casu, quo Infeudationem Solennem præcessisse, non constat:*

stat:

stat: eoque, ut res ab Antiquo infeudari solita sit, ita exigit, ut ad Ecclesiam reversæ rei aliquando Solenniter infeudatæ, liberam & ab omni Solennitate absolutam re-infeudationem non excludat, ut ante laudatus Everardus *n. 12.* observat. Deinde, quia *Extravag. cit.* circa Infeudationem & contractum Emphyteuticum, præter consensûs Apostolici sub gravibus pœnis requirendi necessitatem, Jus antiquum non correctum; ac proinde *c. Ex parte cit.* dispositio integra relicta est, per tradita à Quaranta in *Summa Bullar. n. 5.* & Pirrhing. *Method. Jur. Canon. lib. 3. tit. 13. n. 54.*

17 Dubium secundò est, an res Feudales vel Emphyteuticas ad Ecclesiam vel Monasterium reversas denuo infeudare vel emphyteuticare Capitulum possit Sede, vacante? Dubitandi ratio est; quòd Infeudatio sit species Alienationis, arg. *c. Nulli & Extravag. cit.* & Liberalitatis §. *in primis cit.* de Ecclesiæ rebus, Sede vacante, Capitulo non permissæ, juxta dicta *p. 1. art. 5. n. 7.* Hac tamen ratione non obstante *c. Ex parte cit.* dispositio ex parte etiam in Capitulo procedit: ideòque propositum dubium resolvendum est ope distinctionis inter res Feudales & dari solitas in Emphyteusin.

Et quidem si, ut in pluribus Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesijs Germaniæ nostræ, ejusmodi res inter Prælatum & Capitulum omnino divisæ sint: istud, sicut res proprias in Feudum vel Emphyteusin semel legitimè concessas, & quomodoque ad se reversas, Sede vacante infeudare, liberè potest, secundùm Redoanum *Rubr. cit. quest. 7. §. His paucis n. 5.* & Rosenthal *cap. cit. conclus. 26.* ita ejusmodi Vacationis tempore re-infeudare nequit à suis separatas & proprias Prælato, Redoan. *l. cit.* Ratio prioris est; quia talis Infeudatio vel Emphyteuticatio ipsi permissa est Sede non Vacante; cùm illarum plenam habeat administrationem, ut insinuatum est *p. 1. art. 2. n. 15.* posterioris autem; quia Capitulum, sede Vacante, non succedit in juribus, quæ speciali & extraordinario Jure compe-

tunt.

tunt Prælato, ut regulæ instar tradi solet à Joan. Andr. *in c. Verum. 7. de Foro compet. n. 9.* Panormit. *ibid. n. 8.* & Felino *n. 2.*

Si verò ejusmodi res & bona Feudalia Prælato & Capitu- 18
lo sint communia, ea, Sede Vacante, ad Ecclesiam reversa de-
nuo infeudandi potestatem Capitulo competere volunt Lai-
man *Tract. cit. n. 94.* & Pirrhing. *lib. 3. cit. tit. 20. n. 12. arg. c. Unici, Ne Sede Vacante in 6. ex eo;* quòd de Cõtroversijs Feudali-
bus ortis, dum Sedes Vacat, cognoscere Capituli sit. Verùm quia
ex *cit. c.* argumentum legitimè desumi: & quæstionum super
Feudis, ad Prælatum & Capitulum indivisim spectantibus, or-
tarum cognitionem Capitulo competere, cum Glossa *in c. Ve-
rum cit. V. Questio mota,* & Hostiensis *V. eodem cit. c. arg.* alij neg-
gant teste Barbota *ibid. n. 3.* probabiliùs etiam hujusmodi res
Feudales, Sede Vacante, apertas liberè infeudari à Capitulo non
posse: sed defuncti Prælati Successori reservandas censemus
cum Schradero *Tract. Feudal. p. 4. cap. 2. n. 32.*

Porro ab hæcenus declaratâ, & ex *c. Ex parte cit.* desum- 19
ptâ quasi regulâ de Rerum Feudalium & Emphyteutarum Ec-
clesiæ apertarum libera re-infeudatione Prælatis permiffâ, ca-
sus excipiendi sunt varij:

Et primò quidem casus, quo Ecclesiæ alicujus speciali
Consuetudine vel statuto introductum, aut Prælatum inter &
Capitulum inita esset conventio, ut ad rerum Feudalium aut
Emphyteutarum ad Ecclesiam vel Monasterium reversarum
novam Concessionem sine Capituli consensu non procedatur;
nam speciale hujusmodi jus vel conventionem observandam,
ex communi DD. sensu & rectè monet Rosenthal *cap. cit. n. 4.*

Secundò casus, quo mutato rerum statu Infeudationis 20
vel Emphyteuseos causa cessavit ita, ut rem Feudalem vel Em-
phyteutam, Ecclesiæ vel Monasterio apertam, denuo conce-
di illi non expedire aut damnosum videatur, v. g. si causa suffi-
cientis defensionis, adversus hostiles incurfus alias deficientis,
ob quam castrum v. g. olim infeudatum fuit, illo per Vasalli

mortem ad Ecclesiam reverso, omnino cessavit: vel si fundus, cum in Emphyteusin primò & solenniter concederetur, omnino sterilis & incultus, quando autem ad Ecclesiam redijt, ad culturam redactus & fertilis sit, ut jam eum ab Ecclesia proprijs sumptibus coli expediat: vel si Ecclesia aut Monasterium primæ Concessionis tempore locuples, cum tempore redactum sit ad inopiam; cum enim tali casu rem Ecclesiasticam in Feudum vel Emphyteusin concedendi causa non ampliùs subsit, reversa denuo infeudari, vel in Emphyteusin dari sine Solennitatibus non potest, ut *arg. c. Cum cessante 60. de Appellat. imò c. Ex parte cit. ibi, Liberè si videris expedire*, cum Panormit. *in c. Ut super cit. n. 11.* docent Redoanus *q. 7. cit. §. Verùm quia n. 3. & 4.* & Tamburinus *Tom. 3. de Jure Abbat. disp. 14. quest. 7. n. 4.*

21 Tertiò casus, quo res in Feudum vel Emphyteusin solenniter data, aut dari solita, Ecclesiæ Mensæ fuit incorporata; cum enim per talem incorporationem utile Dominium consolidetur cum directo, infeudari vel in Emphyteusin dari, nisi exigente aut suadente justâ causâ, & adhibitis Juris Solennitatibus, ampliùs non potest, Schraderus *cit. p. 4. cap. 2. n. 25.* Rosenthal *cit. cap. 4. Conclus. 33.* & Tamburinus *l. cit. n. 4.*

22 Quando autem res, in Feudum vel Emphyteusin concedi solita, pro Mensæ incorporata sit habenda, Controversia est DD. aliter atque aliter sentientium, magna varietate agitata: cujus accuratiore examine Juris Feudalis Interpp. relicto, Nos ea duntaxat referemus, quæ istorum frequentiore calculo sunt recepta. Et primò quidem Bona, quorum Dominium tam utile quàm directum penes Ecclesiam stabiliter residet, de ejus Mensæ esse: & in dubio talia potiùs quàm Feudalia, nisi contrarium probetur, esse præsumi, unanimis omnium sensus est, *cit. Rosenthal n. 1.* præsertim si ea ex Fidelium liberalitate, Contractu vel alio simili modo primùm essent acquisita, Panormit. *in c. Ut super cit. n. 10.* & Everardus *cit. Consil. 19. n. 29.* quòd hæc
Eccle-

decem annis proprijs sumptibus culta sint, requirunt: Alij sufficere volunt, si ex ijs ita cultis fructus uno anno sint collecti, apud *citr.* Rosenthal à n. 9. & Mascard. à n. 13. quantum tempus exigatur aut sufficiat, arbitrio Judicis non obscure permittentes, & ex communi aliorum sensu monentes: casu, quo de causa, ob quam ejusmodi ad Ecclesiam vel Monasterium devoluta Bona à Prælato in Feudum vel Emphyteusin denuo concessa non sint, constat, v. g. quòd bello vel alio modo legitime fuerit impeditus, vel idoneum Vasallum aut Emphyteutam non invenerit, ea Mentæ incorporata ex solo unius aut plurium annorum lapsu non censeri.

Quartò, excipiendus est casus, quo in re, postquam ad
 26 Ecclesiam reversa est, in Feudum vel Emphyteusin iterum dandâ excederetur modus prius solenniter decretæ, aut antiquitûs solitæ Concessionis ita, ut nova Concessio Ecclesiæ damnosa, aut minùs quàm olim utilis foret: quod contingeret, si res antè concessa ad Emphyteutæ vitam, nunc ad duas vel tres generationes extenderetur: aut illa vel etiam Res Feudalis antè concessa pro masculis vel consanguineis tantum, nunc ad feminas vel extraneos porrigeretur; hujusmodi enim Feudum vel Emphyteusis, sine prævio Tractatu cum Capitulo istiùsque consensu & Superioris approbatione, à Prælato constituta, saltem quoad excessum irrita foret, ut à Romana Rota bis, & toties à Camera Imperiali judicatum, Tamburinus *disp. cit. quest. 7. n. 2.* & Rosenthal *Conclus. 27. n. 1.* testantur.

27 Eodem modo res Feudalis propter Vasalli v. g. delictum commissa & Ecclesiæ aperta, non nisi Solennitatibus adhibitis, per novam Investituram transferri potest in Potentiozem; quòd hujusmodi translatione Ecclesiæ conditio difficilior reddatur, Laiman *l. cit. n. 93.*

28 Neque obstat *c. Ex parte cit. §. Alia quoque, & §. fin.* textus; quia hic continet casum & favorem Ecclesiæ specialem: quo Feudum à Vasallo v. g. illud insuper habitâ Ecclesiâ, alienante
 ad

ad hanc devolutum, propter illius Potentiam, facile nequit recuperari; tum enim illud alicui Potentiori, idque recuperare valenti, etiam non adhibitis Solennitatibus, concedere Prælatus permittitur rescripto Innocentij III. §§. *cit.* relato; quòd Ecclesiæ melius & utilius sit, habere talem Vasallum, Feudum ab ipsa acceptum recognoscentem, quàm alium, qui minùs quidem sit potens, directum tamen Dominium ipsi neget, Vivianus in *Ration. §. fin. cit.* & Rosenthal *l. cit. Conclus. 16. n. 2.*

ARTICULUS IX.

De Hypotheca sive Oppignoratione.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|---|
| 1. Hypotheca speciali Immo-
bilia liberè subijci nequeunt, | 7. Reijciuntur. |
| 2. Extra Casum urgentis magna: | 8. Differentia inter hanc & Spe-
cialem Hypothecam. |
| 3. Calices & vasa sacra maxima
necessitatis: | 9. Extravag. Ambitiosæ nihil
mutatum circa Generalem, |
| 4. Nisi Ecclesia habeat superflua. | 10. Antiquo etiam Jure prohi-
bitam, si inducat Alienatio-
nem. |
| 5. Generalem non permissam, do-
centium Opinio, | |
| 6. Et fundamenta, | |

DEcimò, prohibita Prælatis, & irritata etiam est Hypotheca sive Oppignoratio rerum Ecclesiæ Immo-
bilibium & mobili-
bilibium Pretiosarum, quæ servando possunt servari, *can.*
*Hoc jus porrectum, princip. 10. q. 2. c. Nulli. 5. & Extravag. Am-
bitiosa, de Reb. Eccles. non alien. Rationem Baldus in l. fin. C. de
Reb. alien. non alien. reddit; quòd prohibet Alienatione, pro-
hibitus videatur omnis actus, per quem alteri jus rei quaritur,
arg. l. Oratio 16. ff. de Sponsal. ac proinde etiam Hypotheca sive
nexus & obligatio Pignoris l. fin. cit. quia per hanc rei jus alteri*

quæritur, & ad Alienationem faciliè pervenitur, *Novell. 7. cap. 6. princip.* Vbi tamen.

- 2 Excipiendus est casus valdè gravis necessitatis : quâ urgente res Ecclesiarum Immobiles, hisque à jure æquiparatae mobiles Pretiosæ, sicut alienari juxta dicta *p. 1. art. 4. n. 15.* ita etiam oppignorari sine Apostolico & Superioris etiam immediati contentu possunt, quando ad istos recursum illius, ratio & temporis angustia non permittunt, *Donatus Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. tract. 14. quest. 67. n. 2. & 3.*
- 3 Illud etiam pro Praxi notandum: cum res Ecclesiarum, etiam præmissis, aut Necessitatis casu, omissis Solennitatibus, in Pignus tradendæ sunt, merè temporales, ut sunt Domus, prata, vineæ & similes priùs: postea vero & non nisi ex gravissimæ necessitatis causa eas, quæ per Consecrationem vel Benedictionem ad Altari ministerium & cultus Divini celebrationem deputatæ & necessariæ sunt, ut Calices, Patenæ, vasa, vestimenta & ornamenta: & ex his, quæ benedictæ tantùm sunt, ante consecratas, tradendas esse Covarruvias *lib. 2. Var. cap. 16. n. 7.* & *Donatus l. cit. n. 3.* Necessariæ, inquam; quia si Ecclesia sacrâ supellectile superfluâ, minùs necessariâ vel utili, instructa esset: hujusmodi ejus res ad rem Divinam deputatas potiùs, quàm merè temporales Immobiles in Pignus dari præsertim Ecclesijs vel Monasterijs possent, *can. Hoc jus cit. & ibi Turcremata.*
- 5 Controversum inter DD. dubiùmque est, an prohibita ipsis etiam sit Hypotheca Generalis? quod affirmat, & propterea Ecclesiarum Prælati, sicut unam vel plures res Immobiles particulares: ita etiam generaliter sive in communi, Ecclesiæ vel Monasterij bona oppignorandi facultatem *citt. textibus ademptam* volunt, *Donatus tract. cit. quest. 67. n. 1.* *Bonacina Tract. de Alienat. quest. unic. p. 2. n. 23.* quorum iste Molinam, ille etiam Covarruviam, præter alios pro se allegant: & moventur; quòd, etsi *c. Nulli cit.* disertè Hypotheca solùm Specialis prohibeatur: Paulina tamen Constitutione Extravag. cit. relatâ:
uti
- 6

uti etiam S. Congreg. Card. Trident. Interpp. Urbani VIII. jussu edito *Decreto, omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum*, sicut *Alienationes alia*: ita etiam *Hypotheca* prohibeatur, omiſſâ illâ particulâ restrictivâ *specialis*, quæ habetur Jure antiquiore *c. Nulli cit.* argumento minimè obscuro, isto expressæ prohibitioni *Specialis*, à Paulo II. additam *Generalem*: ac proinde illicitam hodie *Hypothecam* quamcunque. Cui rationi non leve pondus addere, & accedendi necessitatem imponere videri possunt à Nobis tradita *Traët. de Jure Asyl. p. 4. art. 3. n. 5.* ubi Novissimò Jure Constitutionis Gregorij XIV. quæ incipit *Cùm aliàs. 9. Calend. Junij* editæ, in Ecclesijs aliisque Sacris & Religiosis locis tutos agrorum Depopulatores, etiam *Diurnos*, ex eo solùm negavimus; quòd Constitutione illâ criminum exceptorum reis agrorum Depopulatores accenseantur indistinctè, & omiſſâ Particulâ *Nocturnus*, cujusmodi Depopulator solùm ex Asylis excluderetur Jure antiquo *c. Inter alia 6. de Immunit. Eccles. &c.* Accedit, & DD. allegant. sententiam confirmat; quòd *Hypothecâ* generali Prælati liberè permissâ, etiam perveniatur ad Immobiliùm, hisque æquiparatorum Ecclesiæ bonorum Alienationem; cùm illius nomine contracta debita tanta esse possint, ut ad ea expungenda Mobilia non sufficiant: ac proinde Immobilia aut mobilia Pretiosa danda in solutum sint vel distrahenda.

Contrà Panormit. in *c. Nulli cit. n. 3.* Joan. Andr. *ibid. n. 1.* 7
& Redoanus *de Reb. Eccles. non alien. Rubric. 1. cap. 6. n. 12.* & Molina *Traët. 2. de J. & J. disp. 466. n. 1.* *Hypothecam Generalem*, exigente aut suadente justâ causâ Prælati, sicut Antiquo: ita Moderno etiam Jure sine Solennitatibus permissam, rectè colligunt arg. à Contrario *c. Nulli cit. & ex eo*; quòd ex duabus speciebus oppositis, unius assumptio alterius exclusio censeatur, arg. *l. Si inter 15. de Except. rei judic. junctâ Glosâ in clement. 2. V. Directo contrarijs, de Testibus.*

Hypothecam autem *Specialem*, permissâ *Generali*, Prælati prohibendi ratio fuit; quòd per hanc magis quàm per illam Eccle-

Ecclesijs præjudiceretur; cùm quòd per Specialem in ipsa re particulari obligata: per Generalem autem ad rem tantùm jus acquiritur, secundùm Glossam in *l. Si is qui rem* 66. *princip. V. Speciali ff. de Furtis*, Redoan. *l. cit. n. 16.* iùm vero; quòd per Generalem res singulæ minùs sint obligatæ: & non ita facilè deveniatur ad Alienationem vel distractionem alicujus rei Immobilis aut mobilis Pretiosæ, in communi tantùm obligatæ; cùm in executione ad solvenda debita prius distrahenda sint Mobilia: & his non sufficientibus mobilia pretiosa iusto pretio vendantur, vel dentur in solutum, Molina & Pirrhing. *l. cit.*

9 Neque hætenus dictis adversatur, aut, ut videri potest, Nos specialiter urget ratio allata in contrarium; quia Gregoriana Constitutione circa criminosos ad Asyla confugientes, ultra jus Antiquum seculari Potestati aliquid permissum, ex ipsius tenore constat: & si non constaret, ad evitandam correctionem Juris, Agrorum Depopulator *Diurnus* hodièque non esset excludendus arg. *l. Non est* 26. & *l. Sed & posteriores* 28. *ff. De ll.* Contrà Constitutione Paulina SS. Canonum antiquiori prohibitioni sub gravissimarũ pœnarum comminatione duos tantùm casus, scilicet ne rerum Ecclesiæ Immobilium Alienatio Romano Pontifice inconsulto, & absque istius consensu Locatio ultra triennium fiat, superadditos notant Quaranta *l. cit. n. 5.* & Pirrhing *Method. juris Canon lib: 3. Tit. 13. n. 54.* quoad ceteros verò illud non correctum, imò firmatum ex verbis, *præterquam in casibus à Jure permissis* cum Alexand. de Nevo *Consil. 30.* desumit. Alex. Stiatricus *in Extravag. cit. n. 3.*

10 Non majorem vim habet Confirmatio; quia etiam Juris Antiqui, Hypothecam generalem non prohibentis, dispositio; se non extendit ad casum, quo Ecclesiarum bona, etiam in communi, pro tanta quantitate mutuò acceptã, obligarentur, ut Alienationis sive distractionis periculo etiam immobilia exponerentur, Pirrhing *cit. n. 5. in fine.* Sed nos sistere jubemur.

Ad majorem DEI Gloriam.

Illustrissimi Domini, Domini
HANNIBALIS ALPHONSI
EMMANUELIS

S. R. I. Comititis à Portia & Brugnara &c.

Ode Gratulatoria.

Vrna Minois

sive

Sacrofancti Juris Æquitas

In Pranobili & Generoso Domino Defendente

expressa.

Dis dicatum, non violabile
Vas Æquitatis, Cœlicolùm manu
Efficta concha: illimis unde
Justitiæ solet ire Candor.
Tu, quæ capaci condis in angulo
Depræliantùm jurgæ litium,
Et ultimos *Causa* fragores
Funereo recipis profundo.
Depelle noctem Sollicitudinum,
Metûsque nigrum pellito tædium:
Contra explicatam prode frontem;
Téque capi facilem propina.
Sic Te sasurreis impleat Entheis
Complexa amicam candida brachijs
Astræa rhombum: détque Sacræ
Depositum tumulare Lancis.
Herois alma conspicui fide
Benè eruditæ Te capient manus:
Quas pura dudum, fraude pulsa,
Alluit Integritatis unda.

Cc

Et

Est, crede, eburna candidior nive;
Nec gestit alter limpidius tuos
Referre mores: quando justâ
 Cuique suum tribuit bilance.
Si quando *juris* Martius evocat
In arma clangor; lætus aheneo
 Horrere scuto, militare
 Ante alios properat Lyceo
Præstare pectus: nulla quod hostium
Sariffa rumpat, jactave spicula:
 Atuctus ictum pertinaci
 Frangere fulmineum duello.
Prædam superbo sic pede proterit
Commisus Afro Dux Lybiæ Leo;
 Iraque bellum mox paternâ
 Conficit, excoriâtque dente.
At si Sodali *Nobilium* choro
Immistus, alto vertice promicat:
 O quàm sereno oris decore
 Balsama deproperata fundit!
Tunc qualis aurêo purpureus lapis
Juvat tuentem vinctus in annulo:
 Sic sub gravi morum lepore
 Ille juvat medius Coronam.
Dat ergo *Rostro* bella Catonica:
Humanitatis delictum foro;
 Atque indolis partitur æquo
 Munera participanda rivo.
Ergo *Urna* felix præcipitans veni;
Reciprocis & jungere amoribus:
 Fac Laurus æternos Honores
 Juridico pariat *Triumpho*.

Illustrissimus Dominus, Dominus
JOSEPHUS FRANCISCUS
A D A M U S

S. R. I. Comes de Turri & Taxis &c.

Prænobili & Generoso Domino

Theses de Alienatione Bonorum Ecclesiasticorum
propugnanti.

ERgo severas & facies Themis
Exuta, vultus prodiga præferet
Jam liberales, vatis & cœu
Carpathij nova finget ora?
Quæ legē cunctis inviolabili,
Rigore sacro, jus tribuit suum,
Tenâxque rerum vult redire
Ad Dominos aliena primos;
Nunc mitiori lance benignior,
Disperdit ultro, quæ peperit bona,
Et proprio jam larga recti
Cedere jure docet, Magistra.
An Diva lusus, ingenij ferax,
Novos paravit, fertilis & doli
Ambit videri liberalis,
Vt sua cum cumulo reportet.
Vult illa Palmas carpere debitas,
Plenos honorum, quos titulos ferat,
Quærit: merentem quæis coronet,
Serta, Pugil generose, nectit.
Quid miror, amplam prodiga si manum
Astræa pandit, dum meritis cupit
Æquare laudes, copiosa
Dum tua sic tibi Jura reddit.

Illustrissimi Domini, Domini
FERDINANDI MARQUARDI
JOSEPHI ANTONII

S. R. I. Comitis à Wartenberg &c. 2

Ode Gratulatoria.

seu

Spica Virginis

five

Opulenta scientiæ virtutumque Messis
In Prænobili & Generoso Domino Defendente
collecta.

Hem ! quàm superbis Parthenium Jubar,
Cedente Cælo, fulgurat ignibus :
Non quæis solebat ferre se unquam
Lætitijs hodie triumphans.

Hem ! ut recurvis crinibus annuit ;

Lucemque spargens ambitiosius,
Idemdem ad chari renidet

Laurigeram *Pugilis* Palæstram.

Tu nempe vultu Tu rapis æmulo,

Et curiosa Sidera detines ;

Virtutis auro purpurascens,

Et facie simili coruscans.

Videt, profundo quas tegis æquore

Gemmas, sagaci strenuus Indole ;

Doctasque *Virgo Laureata*

Quas dederat, reteggit Fodinas.

Miratur amplo pectoris atrio

Scientiarum dispositas Opes ;

Nardumque Virtutis Crocumque

Naribus applicitis regustat.

Non

Non tale quidquam fertilis India
Decorticatâ præbet in arbore;
Nil tale Medorûmque messis,
Nilque Sabæi oluère nimbi,
Si quando justo tempore Virginem
Flectens in Ortum Circulus abstrahit;
Relicta eodem mane Regna
Vespere præteriturus orbe.
Tu bellicosum fac modò sanguinem
Non fracti in arcem pectoris evoces,
Et bulliente in bella succo
Impavidus reprimas sarissas,
Tenaxque persta miles. In æthera
Te *Virgo* Docti conticia Prælij
Vocabit olim: proximûmque
Sidereo dabit esse *Currus*.

Illustris ac Generosus Dominus
JOAN. FRANC. ADAM. ROMAN.
L. B. de Freyberg &c.

Prænobili ac Generoso Domino Defendenti

Ex Insignibus Gentilitijs, in quibus *Ternis* sub *Stellis Anchora*
stat, Victoriâ ominatur, gratulatur.

EN! ut furores despicit æquorum,
En! ut feroces negligit Æoli
Iras, & irridens minarum
Cymba volat facilis per undas.
Pregnante quamvis turgidus imbricam
Irrumpat undas Africus agmine,
Atrisque quassatam procellis,
Mergere præcipiet profundo:

Velis

Velis triumphans explicitis volat,
Secat tumentes Diluvijs Notos,
 Vt per nigrantes Sol serenus
 Aëris egreditur procellas.
At fluctus Alnum jam Decimus quatit,
Cum nave nautam vertere pertinax;
 Auget furorem, quidquid omni
 Exululat furiale ponto.
Sed nostra vultu Cymba stat æneo,
Utróque fluctus provocat obvia:
 Vt Delphis inter saltitare
 Æquoreos solitus fragores.
Et jam beato littore sistitur,
Sed multo honorum pondere nobilis,
 Densæ cui circum refulgent
 Tempora Laurigeræ Coronæ.
Hic me, propinquam littore qui Ratem
Pleno volantem viderat Æolo,
 Edic: quis Heroum subibit
 Littora tam nitidum coruscans?
Vidi hunc Stagyrae nuper in æquore,
Baccâ virentem non numerabili,
 Intérque primos dimicantem,
 Tergemina rediisse Lauro.
Vidi tot inter prælia Thetyos,
Enses vibrantem fulminis æmulos,
 Vidi tot extorquere Lauros,
 Quot Socij subiére pugnam.
Huic signa navis pollice denoto,
Quà vela summo culmine desinunt,
 En, *Anchoram* vatem Trophæi
 Sidere sub Triplici videbis.
Quem Lux Achates *Sidere Triplici*
Ducit fidelis, nubila despicit:
 Nescit ruinam, fida navem
 Anchora si retinet labantem.

Hæc signa tanto tradiderant Viro
Olim futuri Provida Numina ;
Hoc multa , dicunt , Laureato
Gloria vertice conquiescet.
Fulgere deinceps Sidera pergite ,
Tu certa naves Anchora robora.
Multos per annos Gloriosa
Anchora stet , Patriæ , Sibique.

Ode

Quam Illustris ac Generosus Dominus
JOANNES BARTHOLOMÆUS
ANTONIUS

L. B. de Berchem in Pluedenburg &c.

Honoris ergo gratulabundus accinit.

Europa Mundi portio nobilis,
Mavortiarum gloria mentium,
Quousque perges provocari
In patulum cataphracta campum?
Satisne necdum sanguinis est datum
Diris machæris , tritè rubentibus?
Punctumne Mundi disputatum
Tot gladijs aliquando tandem
Post tot fragores , atque tonitrua,
Post tot procellas sanguinis , & neces
Pacem videbit? Laureata
Sæcula nōne brevè redibunt
Cum ramo Olivæ? Dissita spes procul:
Necdum quiescunt æmula prælia.
Fortuna successu secundo
Læta diu magis insolescit,
Aurèmq; pronam conditionibus
Præbere nescit. Ferrea sæcula
Sic ire pergunt. Literatæ
Interea patiuntur artes.

Silētque passim Justitiæ forum,
Armis severo Marte Strepentibus,
Mutæque leges conticescunt
Apposito labijs sigillo.
At quem *Patronum* tempore pessimo
Tot pressa damnis inveniet *Themis* ?
De mille Baldis bellicolum
Repperit ingenio *Strategum*
Ipsi Gradivo eedere nescium.
Tu præliantùm gloria militum,
Quàm Marte sis præstans *Achilles*
Magnanimâ perhibes arenâ:
Tu bello abactam restituis *Deam*,
Tu Jura servas integra, nec finis
Perire quidquam, Tu diserto
Ore valens, calamóque stricto
Vbique pugnæ te medium ingeris,
Et pro tuendo Justitiæ foro
Stas ære fufus, de palæstra
Plausibilis rediture Victor.

Eidem

Prænobili & Generoso Domino Defendenti
Secundas Literaria ex Arena Palmas.
SVnt adhuc altè memori repostæ
Mente, quos vidi Sophiæ ex arena
Te, Pugil quondam Generose, Largos
Ferre triumphos.
En ! novæ rursùm merito parantur,
Quas legas, Palmæ, sacra se tuentem
Te *Themis* spectat, sua credit illa
Dum tibi jura.
Tutior doctam subit hæc Palæstram,
Plena, quod spondet sibi jam, beati
Ominis, Te dum meminit *Strategum*
Vincere gnarum.

Nec quòd accuset Themidem Stagyra
Invidi Livoris, habet, nec illa
Huic opes partas adimunt, utrisque
Sufficis unus.
Unius Palmæ, tituli, ac honores
Sed sibi non sunt satis, ampla laudes
Cum Sophis Astræa paret, nec ambæ
Sunt satis uni.

Honoris ergo gratulatur

LEOPOLDVS ANDREAS RIGL
ab Afferhaufen J. U. Studiosus.

Eidem

Pranobili & Generoso Domino Defendenti

Ode

Herculeas tibi magnus honor, Bernarde, columnas
Eriget, æternæ Symbola gloriæ,
Heroï tali digna, & æquitaris
Inscribet monumenta famæ
Tu modò perpetui constes in limite Juris,
Justitiæ nunquam devius Orbitâ,
Spretor que corruptelarum severus
Et vultu miserante plebem.
Vires ingenio, virtutibus uteris idem:
Præfidium unius pars erit altera,
Negotiorum binæ sunt columnæ
Virtus, justitiæ que trames:
Hæc ubi disjunges, subito collapsa ruet res;
Destituent cuncti, destitues tuos.
Virtute fundatur quævis potestas,
Linpactis quatienda noxis.

D d

Quod

Quod deceat, præstet, non exorabilis aurò;
Nec Dominorum flectenda favoribus;
Nec pauperum squallore tædiofa;
Constanti Themis æqua vultu.

Hoc decus Anglorum nos Cancellarius, æquo
Tramite virtutum absistere nescius,
Thomas docebit: quamvis iussa duri
Urgerent violenta Regis,

Hinc præceps fortuna sui, præcepsque suorum,
Exilij clades, pernicies opum,
Et damna lapsæ stabant dignitatis,
Libertasque inhibenda vinclis.

Vox hæc una, Probo, poterat sedare procellam,
Et gravium fulmen vertere nubium,
Panasque sævi devitare fati
Et donis satiare dextras.

At stetit immoto recti sententia Thomæ;
Nec pretio quovis flagitio faveat;
Vitam immolare certus æquitati;
Exemplum melioris ævi.

Omnia sic constans superat munimina virtus
Et clypeorum umbras mens animosior
Patere spernit: infractumque tela
Pectus nil nocitura præfert.


Hinc vice jam bina stabili in virtute probato,
(Inclytus inprimis doctum acie Sophum
Dum vincis, ac audis Sophiæ Magister)
Redduntur meriti triumpho.

Ast hodie mirandus ades, fortissime victor,
Dum Sophiæ jungis vindicias Themis,
Dignus, cui Thomæ, Juris periti
Sint & nomina Gloriosi.


Honoris ergo accingere

Collegij Cleric. Sæcular. in Commune Vivent.
Studioſi.

ent.







Wiestner
de
alienat.
Cognac.

MII

Th
4744